

# VALERII DE VALERIIS PATRICII VENETI.

OPUS AUREUM IN QUO OMNIA  
breuiter explicantur, quæ Scientiarum omnium  
parens RAYMUNDUS LULLUS tamen  
Scientiarum Arbore quàm arte  
generali tradit.

## PRÆFATIO

AD ILLUSTRISSIMUM ET GENEROSUM  
BARONEM, DOMINUM ANTONIUM FUGGERUM,  
Dominum Kirchbergæ & V Veissen-  
horni, &c.

**I**LLUSTRIS & Generose vir, Meccenas perpe-  
tuo honore colende; quod tempus transegi Augu-  
stæ, liberalioribus exercitationibus dandum ex-  
istimaui: quod putarẽ esse turpissimũ; si, quæ dabatur com-  
mendãdi occasio; à me negligeretur. Ergo Raymundi Lulli  
traditiones adhuc Scholis breuib. illustraui; ratus quippe,  
quod res, dignissimam esse eiusmodi scientiam quæ homi-  
num studiis sine intermissione expoliatur. Est enim ars illa;  
cuius inuentionem Iudæi nostrates Solomoni magno Regi  
Philosopho adscribunt: & nõ nisi diuina suggestu ad Lullum  
Iure quasi postliminij redisse colligunt sapientes. Aristote-  
les certè, ut nec Plato Preceptor, hoc tam egregium philoso-  
phema intactum reliquit; qui si hoc scisset; quàm maximum  
fuit toto philosophandi negotio, maximo maior & hic pro-  
fecto euasisset. Et hanc, vir magne, scientiarum Reginam  
tibi dedico consecroq;: cum enim confirmem illorum senten-  
tiam, qui ingenium natura sagacissimum tuum vario stu-  
diorum liberaliorum genere perpolitum, profitentur: quod  
me vel edocere potuit salutatio tua, quam non minore eru-  
ditione, quàm humanitate refertam, animaduerti. Elegi  
te, qui huius mee lucubrationis fores & estimator & Pa-  
tronus: quem si alij facient tanti, quanti te fieri, est æquum:  
isthac scriptio Augusto tuo nomine emissa, duplo & atten-  
torem

gentiorem lectorem benignioremq̄, experietur. Itaq̄, caput quod est, te, illustris ac generose Mecœnas, qua possum animi subiectione oro; ut quemadmodum hasce meditationes ingenuo pectore tibi offero; consueta benignitate accipias, boni consulas, & me humilem clientem tibi fidelissimè commendatum habeas. Quo beneficio si me affeceris, afficies autem ut spero; facies efficiesq̄; ut, quoad vixero, gratam de te sim habiturus memoriam. Datum 5. Maij. Anno reparata salutis 1589.

**Illustri Dominationis vestræ.**

**Addictis.**

**Valerius de Valerij Patricius Venetus.**

**PPP 5**



# INTENTIO AUTORIS

## EXPLICATUR.



**V**LXIT annis abhinc circiter trecenis insignis quidam Vir summæ eruditionis ac sapientiæ, nec minoris (forsan) sanctitatis, nomine Raymundus Lullus, qui maximam difficultatem in scientijs quibuscunq; constitutam admirans, ac earundem inter se varietatem contemplan, hominis miseriam deplorauit, quod longo temporis spatio per deuia scientiarum errando, vix tandem ob immensum laborem, non minus confusam quam exiguam rerum cognitionem assequeretur: Cupiensq; literarum cultores ab hoc seruitutis iugo liberare, ac breui temporis curriculo in summam omnium scientiarum noticiam deducere: nescio quo diuino afflatus furore, inter cætera \* duos libros ad omnes scientias assequendas conscripsit: quorum vnum breuem artem, alterum verò generalem appellat, ex quo posteriori priorem collegit. Verum ob longam experientiam deinde cognoscens paucos ad illarum cognitionem deuenire, tum propter singulare ac admirabile artificium, quod continent; tum etiam ob præceptorum paucitatem, quibus immensum scientiarum chaos implicatur, voluit \* clarius sententiam suam explicare; tali tamen modo ne sacra à prophanis contaminari possent, & non nisi summa ingenia arcanorum penetralia degustarent. Ad quod peragendum librum edidit, quem nominare voluit \* Arborem scientiarum, nec immerito: quoniam ea omnia, quæ ab omnibus scientijs vnà possunt compræhendi, Liber ille quatuordecim tantum arborib. distinctus miro modo considerat. Qui cum ad manus nostras deueniret, curauimus maiori, quam fieri poterat, facilitate, eius libri sensum aperire, & circa hoc vnum tota nostra intentio versatur. Quædam enim inutilia subtraximus; aliqua verò valdè necessaria addidimus; sicuti sparsim in toto opere cerni potest, & potissimum in \* prima & quarta parte, in quarum prima, præter animaduersiones in toto Lulli artificio summè necessarias fabricauimus nouem Categorias, vel, vt vulgus intelligit prædicamēta quæ entibus omnibus conuenire possunt, quæcumque sint illa siue realia, siue ab intellectu fabricata, siue creata. \* Adiecimus in super in secunda parte arbori vnicuique proprias formas, ea omnia breuiter explicando, quæ ad arborem quamcunq; reduci poterant. In tertia verò parte & quarta proprio Marte multa desumpsimus, vt ingeniosi cognoscere poterunt: Nec sine maximis incommoditatibus & multis vigilijs id perfecimus, vt Philosophiæ imbuti

*Raymundus Lullus quo tempore vixerit, & quibus fuerit.*

*\* Duos libros Lullus scripsit, ad omnes scientias cōparandas.*

*Quare pauci ad noticiam artium generalis & breuis deueniant.*

*\* Per arborem scientiarum clarius Lulli sententia explicatur.*

*\* Arbor scientiarum nō immerito talis dicitur.*

*Intentio Authoris circa quod versetur.*

*Qua præcipue in prima & quarta parte ab Aut: sint addita.*

*Quibus categoriis nostris conueniant.*

*\* De his que sunt in sectione*



imbuti valeant se aliquando ab infinitis ambagibus liberare, & de parte ad-  
 Viri in scientijs consummati post infinitos labores peractos pos-  
 sint sub felici harum arborum vmbra perpetuò & secure quie-  
 scere. Non reprehendant nos Eloquentiæ cultores si rudi Mi-  
 nerua in scribendo vsi sumus, quoniam satis erit (vt arbitra-  
 mur) si sub rudi cortice Docti Eloquentes sua Eloquentia Ne-  
 starcos fructus cognouerint & gustare poterint. Hæc dicere  
 volumus de nostra intentione, sed ad operis diuisionem acce-  
 damus.

da parte ad-  
 dita.  
 Quare hoc  
 opus dicitur:  
 edere volue-  
 rit.  
 Eloquentes  
 nō reprehendat  
 sermōnis  
 simplicitatē.

DE TOTIUS OPERIS DI-  
 uisione.

VT ordo in huius operis processu obseruetur, in quatuor par-  
 tes totum opus partiendum est; in quarum prima de his  
 tractabitur quorum præcognitio necessaria est ad consequen-  
 dam arborum cognitionem. In secunda parte quatuordecim  
 arborum naturam declarabimus, ex quarum notitia tota en-  
 tium cognitio dependet. In tertia exemplis illustrabimus  
 quæ tam in prima quam in secunda parte traduntur. In quarta  
 verò & vltima modum ostendemus, quo tota generalis ars  
 Raymundi ad hoc opus sit reducenda; docendo vltius mul-  
 tiplicare fermè in infinitum conceptus, argumenta vel cuius  
 cunque alterius generis complexa tam pro parte vera quam  
 falsa, miscendo radices cum radicibus, radices cum formis,  
 arbores cum arboribus & regulas cum his omnibus, & alijs  
 multis modis.

In quatuor  
 partes totum  
 opus diuidi-  
 tur.  
 In prima par-  
 te quid fiat.  
 In secunda.  
 In tertia.  
 In quarta,  
 quæ doceantur  
 egregie.

DE PRIMAE PARTIS  
 diuisione.

PRIMA pars in quinque partes subdiuiditur, in quarum pri-  
 ma radicum natura arboris cuiuscunque ostenditur. In se-  
 cunda arborum folia numerantur, ac declarantur. In tertia  
 formarum essentia explicatur. In quarta quæstionum vel  
 regularum quidditas ac numerus docetur. In quinta verò  
 & vltima animaduersiones quatuor præcedentium partium  
 ponuntur, quarum noticia ad Lulli omnia secretiora intelli-  
 genda est necessaria.

Principalis  
 pars in quin-  
 que partes  
 subdiuidi-  
 gitur.  
 In 5ta parte  
 animaduer-  
 siones ponun-  
 tur ad secre-  
 ta Lulli in-  
 uestiganda.

DE RADICIBUS IN COM-  
 muni.

LOQUUNTUR de principijs illis vniuersalibus quæ quod-  
 libet entis genus circundant atque insensibiliter penetrant,  
 nempe

Enumeran-  
 tur principia



*Vel radices  
arborum  
omnium.*

*Radices qua-  
te dicantur.*

*Discrimē in-  
ter radices.*

*Opinionis  
cuiusdam re-  
futatione.*

*Cur absoluta  
quadam ra-  
dices sint &  
quadam re-  
spectiva.*

*Ad qua ca-  
pita entia  
omnia redu-  
cantur.*

*Ad quid sint  
missa octo-*

nempe de Bonitate, Magnitudine, Duratione, Potestate, Sapi-  
entia vel cognitione, Voluntate vel appetitu, Virtute, Varieta-  
te, Gloria, Differentia, Concordantia, Contrarietate, Principio,  
Medio, Fine, Maioritate, Æqualitate & Minoritate, quæ Lullus  
in eo libro qui Arbor scientiarum intitulatur sub radicum no-  
mine (radices etenim dicuntur eo quòd varia influentiarum  
genera, quæ à centum formis præcipue emanant, per eas ad  
quascunque omnium arborum partes deducantur) considerat:  
visum est prius differentiam quandam, quæ inter priores nouē  
& posteriores totidē reperitur manifestare, ac ordinem in illis  
constituere, antequam de vnaquaq; illarum peculiaris sermo  
fiat: cuius rei cognitio non parum proderit ad inuestigandam  
earum entium naturā, quæ sub Arboribus sunt compræhensa.  
Discrimen igitur est, quia primæ radices arboribus & partibus  
suis absolutum esse tribuunt ac completum inchoando ab es-  
sentia vsq; ad rei finem vel complementū, quod clarius statim  
parebit vbi ordinem harum radicum ostenderimus. Postero-  
res autem respectiuum esse tantum largiuntur, quod esse se-  
cundarium haud improprie nominari potest, cum illud præ-  
supponat quod priores arborum radices conferunt. Nec est  
illorum opinio vera censenda qui priores radices radices existi-  
mant absolutas, in quantum à respectiuis distinguuntur: quo-  
niam Differentia, Concordantia & cæteræ radices prædicatio-  
nem priorum recipiunt, quæ absolutæ sunt: quod impossibile  
esset, si sententia illa veritatem aliquam haberet, quia opposi-  
tum vnum de alio prædicari nequit, & potissimum quando ta-  
lia sunt quæ aliquod tertium condiuidunt, quemadmodum ab-  
solutum & respectiuum secundum dictam sententiam consi-  
derata: Sunt ergo priores absolutæ, quia completum esse vel  
(quasi) intrinsecum donant; aliæ verò sunt respectiuæ, quoniam  
esse quod communicant extrinsecum & incompletum est. Or-  
do inter has radices est admirabilis, quem vellemus temeraria  
ignorantium & sciolorum schola optimè consideraret, si ad  
hoc, suis inuestiuis in Lulli barbariem (quod ad sermonem)  
idonea facta sit, vt altissimos sensus sub impuro sermone vela-  
tos queat contemplari. Diuinus ille Lullus postquam summa  
mentis indagine totam entium multitudinem ad nouem ca-  
pita reduxit, quæ tam in generali quam in breui sua arte vocat  
subiecta, vel ad quatuordecim arbores, quas miro artificio de-  
scripsit, quæ tamen de facili ad illa subiecta reduci possunt & è  
contra: volens deinde totam cuiuscunq; entis naturam expli-  
care, tam in se & absolute, quam extrinsecè vel in ordine ad  
aliud: octodecim generalissima prædicata constituit, omnia  
omnibus ferè entibus conuenientia: quarum priora nouem rei  
natu-



naturam, & quæ necessario eandem consequuntur, essentiam *decim illa*  
 declarant: reliqua verò extrinseca & respectiua ostendunt. *principia.*  
 Quæ licet comunissima sint & consequenter rei substantiam in  
 vniuersali patefaciant: ab his tamen vniuersalioribus ad parti-  
 cularia vsque datur descensus, & per comunissimorū cogni-  
 tionem notitia particularis haberi potest cum hæc in illis con-  
 tineantur. Et hunc descensum cognouit ac docuit Lullus *Docuit Lullus*  
 quando ex nouem subiectis quatuordecim arbores construxit *descensum*  
 à generalissimo Trunco descendendo ad minus generalia, scili- *ab vniuersa-*  
 cet ad Branchas, & ab his ad Ramos, à Ramis ad Flores & deni- *lioribus ad*  
 que à Floribus ad fructus vsque, qui species specialissimæ sunt, *particularia*  
 in quibus iubet Plato quiescere. Non erit igitur impossibile  
 per horum generalissimorum principiorum vel radicum scien-  
 tiam, intimam cuiuslibet speciei disciplinam habere, quod  
 Lulli contemptores impossibile fore putant, cum nequeant  
 (Miseri) oculis à Noctua mutatis ad tantam sublimita-  
 tem conscendere. Sed eò redeuntes vnde digressi sumus at-  
 que ordinem inter principia vel radices constituentes dici-  
 mus inter primas nouem talem esse ordinem, quod tres priores *Ordo inter*  
 rei essentiam eiusdem essentia perfectionem, ac existentiam *nouem radi-*  
 vel subsistentiam respiciunt. Bonitas enim non ea tantum ra- *ces absolutas*  
 tione, qua cum essentia vel ente conuertitur & ob sui simplici-  
 tatem maximam, ei magis intima, essentia respondet, sed prin-  
 cipaliter eam indicat ratione suæ proprietatis, videlicet esse sui  
 ipsius diffusiuam quam mutuatur ab ipsa essentia, cui essen-  
 tiale est seipsam communicare. Magnitudo verò quæ est se-  
 cunda radix non fortuito primam sequitur sed maximo nature  
 consilio, quia essentia nihil est intimius perfectione ipsa vel  
 quantitate perfectionali, quæ per Magnitudinem significatur  
 de qua D. August. inquit: In his quæ mole magna non sunt, *D. Aug. in 6.*  
 idem est maius quod melius. Duratio autem quæ existentiam *de Tri. ca. 7.*  
 vel subsistentiam concernit, optimo ordine illis daabus post-  
 ponitur, tanquam illud quod prius essentia ad singularitatem  
 contracta occurrit. Tres immediatæ sequentes radices cum  
 potentiam operandi ac modum duplicem ostendant, optime  
 requirunt rei existentiam, quam Duratio (vt dictum est) con-  
 cernit: nec vlla res operationem aliquam transeuntem produ-  
 cere potest, nisi existat vel sit singularis teste Arist. in Proemio *Aristot.*  
 Metaph. Potestas tamen prior est Cognitione & Appetitu quia  
 Potestas cum præcipue significet potentiam actiuam operandi,  
 præcedit modos operandi, qui per Cognitionem & Appetitum  
 intelliguntur. Similiter Cognitione Appetitum præcedit, veluti  
 dirigens id quod dirigitur. Vltimæ radices vtputa Virtus, Ve-  
 ritas, & Gloria, quia consummationem & rei complementum  
 denuntiant



*Ordo inter  
respectivas  
radices.*

denunciant, valdè appositè ultimo loco constituuntur. Virtus tamen ultimas duas præcedit, quia priores cum his ultimis vnit, vt inde sequatur huius vnionis Veritas, ac veritatem radicum omnium demonstrat. Et tandem Gloria vel delectatio omnibus postponitur, cum in ea tanquam in summo complemento quiescant. Inter respectiuas autem radices talis ordo consurgit, (sed suo modo) qualem in absolutis assignauimus, ita vt triangulus primus de Differentia, Concordantia ac Contrarietate, cum tribus primis radicibus absolutis concordet: quia sicuti Bonitas notat essentiam, Magnitudo perfectionem rei essentialem, & Duratio eiusdem rei existentiam vel subsistentiam, sic per Concordantiam & Differentiam habetur determinans & determinabile ex quibus vnà coniunctis rei existentia pender, ac perfectio. Contrarietas verò Durationi respōdet, quoniam res extra causam suam existentes varijs passionibus efficiuntur, quarum ratione varijs quoq; oppositionibus sunt subiectæ. Secundus triangulus qui est de Principio, Medio ac Fine cum tribus posterioribus radicibus optimè conuenit, quia posse operari quod Potestati adscribitur, Principium requirit, quod est author operationis. Cum Medio symbolum habet maximum Sapientia vel cognitio, & è conuerso, quia veluti Medium inter duos limites constitutum est, ita & Sapientia, inter potentiam cognoscentem & cognitum obiectum mediat. Finis verò apprimè Appetitui vel Voluntati proportionatur, quia nihil desideratur nisi ob aliquem finem. Tertius & ultimus triangulus de Maioritate, Æqualitate & Minoritate optimam habet Symmetriam, cum ultimis tribus radicibus prioris ordinis, quam sic ostendimus: Cum Virtute Maioritas maximè conuenire dicitur, quia Virtus est fons & origo multarum operationum, quæ duo maioritatem quandam insinuant: Veritati Æqualitas est iuncta, cum Veritas sit adæquatio quædam vel æqualitas essentiæ ad suam ideam. Et denique Gloria vel delectatio cum ab omnibus non æqualiter sit participata, sed à quibusdam in maiori gradu (si fas est sic loqui) & ab alijs in minori, ab aliquibus propriè & à quibusdam impropiè, à creaturis rationalibus immediatè, & ab irrationalibus mediatè, ideo connexam habet sibi minoritatem non ratione suæ essentiæ, sed respectu eorum, quorum est summa quies. Et sic ordo inter has radices constitutus satis manifestus est per ea quæ dicta sunt; quem si optimè studiosi cognouerint, ac obseruauerint, non exiguam inde capient vtilitatem, quia huius rei cognitio ad hoc potissimum valet, vt in construendis definitionibus varijs sciat Lullista convenientia prædicata sumere & extranea omittere, cognoscendo quænam prædicata prædica-

*Ad quid & a-  
beat cognitio  
ordinis inter  
radices.*



prædicatum aliud præsupponat, vel quæ ad illud consequantur: valet quoque ad soluendum argumenta, vt sciat respondens inuenire aptas distinctiones ad distinguendum essentiam ab essentia, essentiam à modo, modum ab operatione ac varijs operandi modis, & ab his quæ extrinsecè essentiam vel rei operationem sequuntur. Complura alia circa hanc materiam essent dicenda, de quibus aliàs loquemur. Sed quid de vnaquaque istarum radicum Lullus sentiat videamus.

## DE BONITATE.

**B**ONITAS sic à Lullo describitur. Bonitas est ens ratione cuius bonum agit bonum, & sic bonum est esse, & malum est non esse. Non ignorauit Illuminatus Raymundus, plura esse definitionum vel descriptionum genera, & ferè innumerabilia vt ostendit quoque doctissimus Agrippa: tamen Bonitatem & reliquas radices per actum & operationem describere voluit, vt ostenderet hæc principia vel radices non esse propter seipsa ac magis propter vniuersam entium classem, quam suis operationibus modò valdè vniuersaliter, aliquando minus vniuersaliter, quandoque specialiter, & demum specialius admirabiliter ornant. Hac etiam de causa tales tradidit de suis principijs descriptiones, vt indicaret mediantibus suis principijs vnâquamque rem commodè posse defini, quod scioli quidam fieri haud posse affirmant: contra quos iam expositione nostra in artem breuem disputabimus (Deo concedente) ostendendo veriores esse tales descriptiones vel definitiones illis, quas per circumlocutas differentias Peripatetici tradunt. Si enim secundum Aristotelem, Asinus definiatur per genus, differentiam & proprium, sic dicere oportet. Asinus est animal irrationale rudibile. Hæc sanè definitio ratione differentia manca est, cum irrationalitas non sit Asini specifica differentia: & ratione rudibilitatis, quæ vt proprium ei attribuitur, valdè dubia est: quia cum ignoretur propria specifica differentia, proprium quoque ignorari necesse est, cum ab ipsa pullulet. Si autem definiatur sic Asinus, secundum Lulli nostri præcepta: Asinus est animal cui conuenit Asinum producere. Hæc definito certior est quia actus naturalis vnus speciei, alteri nequaquam conuenire potest. Nec hoc in loco accepimus actum pro actuali operatione, quia definitio non esset essentialis, at potius accidentalis: sed accipitur pro virtute illa quæ inest Asino à natura vt sibi similem generare possit. Insuper notandam est, quod quando in definitione Bonitatis dicitur. Bonitas est ens, ratione cuius bonum agit bonum: Sic verba hæc intelliguntur. Cum bonitas nō

*Bonitatis descriptio.*

*Quare definiantur radices per actum.*

*Alia ratio ad idem.*

*Ostenditur veriores esse Lulli definitiones quam Aristot.*

*Quomodo accipiat a. et in definitione Asini secundum Lullum.*

*Explicatur verba in*



*Bonitatis de-  
finitione po-  
sita.*

*Bonitas quo-  
modo sit ple-  
na sui ipsius.  
Bonitas quā-  
do aliarum  
partium sit  
plena.*

*Dialo. 10.*

tantum de his prædicetur, quæ inferiora sunt, ad ens transcen-  
dentissimum, sed etiam de Magnitudine, Duratione, & alijs  
principijs tam absolutis quam respectivis, sicuti & vicissim illa  
de bonitate (imò quodlibet de quolibet & de omnibus prædi-  
cari dicitur) ideo est illis ratio cur bona vocentur & quatenus  
talia bonum producere possint. Omnes igitur arbores ac earū  
partes quæcunque à Bonitate generali bonæ dicuntur, & sicuti  
bonitas generalis est sui ipsius plena, & cæterarum partium: sic  
Bonitas particularis datur, quæ sui ipsius est plena, & aliarum  
partium. Tunc generalis Bonitas est sui ipsius plena, prout con-  
cernit bonificatium, bonificare, & bonificabile. Tunc verò  
aliarum partium plena existit, quando per Magnitudinem est  
magna, per Durationem durans, atque per cæteras radices talis.  
Idem dicatur de Bonitate in particulari. s. Trunci, Brancharum  
vel aliarum arborum partium. Consimiliter quoque de vna-  
quaque radice dicendum est. Tunc enim sui ipsius plena erit,  
quando potentiam proximam agendi, actum ac correlatium  
connotabit, sed cæterarū partium, quando ab alijs earum simi-  
litudinem suscipiet. Essent ipsius Bonitatis quamplurime pro-  
prietates describendæ, quas Pythagoras, Aristo. Numenius  
Platonicus, Mercurius Trimegistus, Platonius & Plato enume-  
rant, inter quas Mercur. Trim. ad Tatium loquens, novem  
assignat, quoniam talium proprietatum notio plurimum pro-  
dest pro exornandis conceptibus ac medijs argumentorum in-  
veniendis, de quibus aliàs verba faciemus. Varias verò Bonita-  
tis diuisiones tu ipse colligito ex diuersa arborum distinctione:  
idq; poteris obseruare de alijs radicibus.

## DE MAGNITUDE.

*Quid sit Ma-  
gnitudo.*

*Varia magni-  
tudinis acco-  
ptiones.*

*Varia opera-  
tionū species.*

**M**AGNITUDO est ens ratione cuius omnes radices sunt  
magnæ ac cætera entia. Cuius definitionis partes consimili-  
modo sunt explicandæ, sicuti in Bonitatis definitione explicatæ  
sunt. Restat tantum ostendere plures magnitudinis acceptio-  
nes, quæ tres sunt nempe, virtutis, molis, & operationum, quas  
Lullus optimè cognouit dum inquit. Magnitudo est ambiens  
omnes extremitates essendi, per quæ verba innuit triplex esse.  
s. essentia & spirituale, cui conuenit primum magnitudinis ge-  
nus de quo abundè dicitur in Categoria Quantitatis: aliud est  
esse corporeum, cui magnitudo molis ac virtutis competit.  
Tertium est esse in actu per operationem, cui respondet opera-  
tionum magnitudo. Et hæc vltima magnitudo multis modis  
variatur, sicuti & variæ sunt operationum species, reales, inten-  
tionales; immanentes, transeuntes: naturales, accidentales:  
proprie, appropriatæ; rectæ, reflexæ: spirituales, corporales:  
necessa-



necessaria contingentes: instantanea, & in tempore facta; & multae aliae quae Philosophis & Theologis sunt notae.

## DE DURATIONE.

**DURATIO** est ens, per quod radices omnes ac reliqua entia durant: & multiplex est. Quaedam enim vocatur tempus continuum: qua res successive dimensurantur, ut motus omnes. Alia vocatur Aeuum, qua spirituales substantiae finitae nec non corporeae, absque variatione successiva consideratę mensurantur. Ultima vero Aeternitas appellatur, quae soli Deo competit, nec successionem aliquam vel mutationem significat. Nec est censendum Deum mensurari duratione aliqua, cum mensura mensurato sit prior dignitate vel natura: atque finitis solum conueniens ut inquit Capreolus. Et licet dicatur, aeternitatem Dei esse mensuram, sic dicitur, quia Deus a nobis apprehendi nequit nisi in ordine ad mensuram, quia per aeternitatem certi sumus de Dei duratione quod est mensurae proprium.

*Duratio  
quid sit.  
Multiplex  
du at .*

*v. li. sententiarum.  
quid sit  
Quomodo  
Aeternitas  
Dei mensura.*

## DE POTESTATE.

**POTESTAS** est id, per quod omnes radices: imo omnia entia possunt esse, vel existere, vel subsistere. Non frustra sub distinctione assignauimus triplex esse: quia non minus res illae, quae tantum essentiam habent, & quibus simplex esse conuenit, per potestatem sunt, quam illae quae existunt vel subsistunt. Illud existere dicitur: quod extra causam suam habet esse, siue sit substantia siue accidens. Illud vero subsistit, quod est substantia & habet esse extra causam suam, ut omnia completa indiuidua in praedicamento substantiae. Ex quibus patet existentiam latiore esse ipsa subsistentia, quia existentia & accidentibus conuenit & substantiis, at subsistentia tantum substantiis. Nec per potestatem tantum res sunt, sed etiam per eadem operari possunt, ideo si aliquid ens operatur hoc habet a potestate. Si bonitas bonificat, magnitudo magnificat & ita de aliis: hoc per potestatem obtinent. Suo modo entibus ab intellectu formati potestas non repugnat, quatenus sunt, & possunt aliquam habere operationem. Multae sunt potestatis species: (loquendo de potestate ad operationem ordinata) ad has tamen quatuor, omnes possunt reduci. scilicet ad potentiam naturalem & voluntariam & ad potentiam productiuam & conseruatiuam. Si ad potentiam passiuam (quam Scotus subiectiuam vocat) potestatem volueris accommodare, poteris de hac duas habere distinctiones quas de potestate in operando descripsimus, dando sua suis,

*Definitio potestatis.*

*Existere quid*

*Subsistere  
quid*

*Existens latior est subsistentia.*

*Entia si operantur hoc a potestate habent.*

*Species 4 potestatis.*



VALERII DE VALERIIS  
DE SAPIENTIA VEL  
Cognitione.

*Quid sit sapientia*

*Tria sunt entium genera quae verè cognoscunt.*

*Qua cognitione omnia cognoscant.*

*Enumerantur 22. species cognitionis intellectualis.*

*Ad 3. species illa 22. species reduci possunt*

**S**APIENTIA est id, per quod radices omnes & omnia entia cognoscuntur. Non est in dubium reuocandum: An entia omnia verè cognoscant? quoniam est sole clarius, hæc tantum tria verè cognoscere Deum scilicet, Angelum. & Rationalem animam. Sed si de quacunque cognitione fiat quaestio, pars affirmatiua procul dubio debet defendi, quia entibus omnibus aliqua operationes non repugnant, quæ semper cognitionem præsupponunt aliquam. Nec aliquod ens potest inueniri, quod omni careat appetitu, cum saltem finis appetitum habeat, & appetitus cognitionem præsupponat. Omnia igitur entia cognitionem quandam habent, quæ aptè naturalis vocatur, verum quod quædam sunt entia, quæ præter hanc habent aliam quam sensitiuam nominamus, & hæc Bruta cognoscunt, quæ sibi utilia vel nociua sunt. Intellectiua vero, quæ Deo Angelis, & Animabus rationalibus conuenit, verior est & propria. Quæ respectu animæ rationalis, multiplex est, videlicet Intuitiua, Abstractiua, Actualis, Virtualis. Si Abstractiua; vel per propriam speciem, vel per alienam. Recta, Collatiua, Reflexa: Si Reflexa, vel erit quatenus reflectitur super potentiam cognoscentem, vel super actum cognoscendi, vel super obiectum cognitum. Vera, Falsa, Adæquata, Inadæquata, simplex, Composita; Si Composita, vel Compositiua, vel Resolutiua, Affirmatiua Negatiua. Et ad istas quas numerauimus omnis alia intellectualis cognitio reducitur. Si tanta cognitionum multitudo tibi nauseam ( adde & ignorantiam ) comparabit, tibi ipsi poteris persuadere triplicem solum esse, nempe Veram, Falsam & Dubiam, vel quintuplicem quia & tot sunt habitus intellectuales.

DE VOLUNTATE VEL  
Appetitu.

*Quid voluntas vel appetitus*

*De quo appetitu loquatur.*

*Sententia auctoris vera.*

*Appetitus passivus quomodo*

**V**OLUNTAS vel appetitus est id per quod omnes radices sunt amabiles, qui appetitus in omnibus entibus reperitur. Videtur ex hac definitione, quod Raymūdus Lullus intelligat de passiuo appetitu, quo res ad potentiam appetitum in ratione obiecti inclinantur: & non de actiuo, quo res in suum finem tendunt, vel in id, quod quandam finis speciem habet. Mea tamen est sententia, quod de actiuo appetitu intelligenda sint eius verba, quia appetitus passiuus, tantum est in rebus, quatenus voluntatem respiciunt; nec cognitionem sequitur, sed



sed præcedit, quia talis appetitus est essentialis, cum in rebus *fit in rebus*  
 sit ratione materiæ vel potentiæ, & per consequens, non opti-  
 me Lullus radices has ordinasset, id prætermittendo quod se-  
 qui deberet. Huius sententiæ est quoque Agrippa, qui appeti- *Agrippæ sen-*  
 tum distinguit in rationalem, qui homini conuenit: in sensiti- *tentia.*  
 uum, brutis competentem: & in naturalem, omnibus rebus in-  
 ditum. Quæ diuisio non potest dari de passiuo, quia in omni-  
 bus entibus est idem. Imo Lullus ipse dando exemplum de *In li. 1. c. 1. scilicet*  
 appetitu naturali & sensitiuo inquit: Sicut ignis, qui habet ap- *entia: dicitur de*  
 petitum ad calefaciendum aërem, ut det ei suam similitudi *lucetore*  
 nem. Et sicut Leo qui habet appetitum ad Leænam pro specie *Ostendit quod*  
 sua conseruanda. Ex quibus verbis patet eum intelligere de *de appetitu*  
 actiuo: quem omnia entia habent, quia in aliquem finem ten- *actiuo intelli-*  
 dunt. Et naturalis est, quia naturalem præsupponit cognitio *gatur.*  
 nem, quæ longè melius Dirigentis cognitio potest nominari *Cognitio Dir-*  
 Dei sc. benedicti omnia in suos fines producentis. Sic homo, in *gentis.*  
 suum finem tendens, naturalem habet appetitum. Idem de  
 brutis dicas, licet ad vtilia prosequenda, & nociua vitanda in  
 homine & bruto alius appetitus vigeat dictusque sensualis. A  
 lius cum his, qui Voluntas dicitur est in eodem homine, quo *In homine*  
 tunc pessimè ac inscitè vitur cum fruitur vtendis & vitur *appetitus.*  
 fruendis.

## DE VIRTUTE.

**V**IRTUS est origo vnionis radicum omnium. Et oritur vir- *Quid Virtus*  
 tus hæc à rei vnitate, quatenus actum proprium res ea- *& unde oriatur.*  
 dem virtuosè producit. Et ut probe intelligas. Nihil aliud est *est.*  
 virtus (quam intelligimus) quam facultas illa innata rei, qua  
 eliciuntur operationes conformes. Et distinguitur à potestate *Virtus à pote-*  
 operationum, de qua supra loquuti sumus, quia Potestas tan- *state distin-*  
 tum dicit non repugnantiam ad operandum: Virtus verò tollit *guitur.*  
 vtique repugnantiam, & præterea connotat in operante habi-  
 litatem vel proprietatem quandam secundum quam consimi-  
 lis operatio producitur. Nimis prolixus essem si multas vir-  
 tutis species describerem. Tu ipse discurre per arbores omnes  
 ac per omnium arborum partes, & sic varias distinctiones, ac  
 infinitum numerum proprietatum harum, vel virtutum  
 inuenies. Discrimen tamen facito inter iana-  
 tas virtutes acquisitas, &  
 infusas.



## DE VERITATE.

*Quid veritas**Veritas quæ  
existentiam  
respicit.**Propositiones  
de secundo &  
tertio vera.*

**V**ERITAS, est id quod verum est de radicibus, & de omnibus entibus. Quæ veritas vel respicit rei existentiam, vel eiusdē essentiam. Si existentiam, tunc habetur veritas contingens: & isto modo propositiones de secundo adiacente sunt veræ & etiam de tertio adiacente in contingenti materia, si id notat propositio quod à parte rei fuit vel est. Si autem essentiam veritas respicit, tunc necessaria est, cum essentia ea notet, quæ taliter sunt unita, quod vnum sine alio esse non possit, & vnum est de essentia alterius & ambo vnum tertium constituunt.

## DE GLORIA VEL DELECTATIONE.

*Quid sit gloria**Duo sunt  
de ratione  
gloria cōside-  
randa.**Gloria impro-  
priè conside-  
ratur hic.**Gloria propri-  
a duplex est.**Epilogus eo-  
rū quæ dicta  
sunt.*

**G**LORIA est ipsa delectatio, in qua radices omnes & cetera gentia quiescunt. Notare oportet, quod de ratione gloriæ duo sunt, scilicet quod quiescat, & delectationem præbeat, quorum alterum si remouebis gloriam non cognosces. Nam Lapis sursum detentus quiescit certe, sed non delectatur. Hinc est, quod non est gloriosus. Homines quoque mundanis delectantur, quia tamen eorum appetitus non est satur, ideo gloriosi non sunt. Gloria hoc in loco improprie consideratur, scilicet pro quacunque completa delectatione, rei conueniente, sed cū quiete, qua omnia fruuntur. Propria autem Gloria duplex est, quædam increata, qua Deus beatus est fruendo seipso; altera vero creata dicitur, quatenus in creatura recipitur, ab increato tamen Deo, principaliter in voluntatem producta, & consequenter in totam animæ essentiam rationalis creaturæ. Et sic habes nouem absolutas radices, quarum primæ tres arboribus & earum partibus tribuunt essentiam, perfectionem essentiæ, & durationem vel existentiam. Tres vero has immediate sequentes, potentiam operandi, duplici operandi modo qualificatam significant, videlicet naturali, qui per cognitionem intelligitur & Libero, qui per appetitum explicatur. Per vltimas autem, Gloriam, s. & quæ eam præcedunt, intellige finem. Sed ad respectiuas radices est deueniendum, quæ arboribus extrinsecū esse largiuntur, & multum faciunt ad cognoscendam naturam cuiuscunque rei.

## DE DIFFERENTIA.

*Quid differ-  
entia.**Nota.*

**E**XPLICATIS ac declaratis absolutis radicibus, restat ut ad respectiuarum declarationem deueniamus. Prius tamen quædam præmittere volumus quæ summè studiosi obseruare debent. Inter omnia hoc præcipuum est, nè radices istæ sumā.



tur pro absoluto earum esse, aliàs maxima statim oriretur con-  
 fusio, inter priores & has radices, quæ confusio causaretur, quod  
 neq; rei natura explicari posset, nec minus in probando, docen-  
 do, vel confutando iuuenis suam consequeretur propositum.  
 Consideretur igitur Differentia non pro absoluto illo, quo ab- *Qualiter dif-*  
 soluta res ab alia differt, siue hoc spectet ad differentiam com- *ferentia sit cõ-*  
 munem, propriam, & specificam; sed pro relatione illa, quæ in *sideranda.*  
 his fundatur, & idem intelligatur de Concordantia, Contrarie-  
 tate ac aliis. Ex quibus statim error manifestus apparet Henri- *Error Agrip-*  
 ci Cornelij Agrippæ, qui radices illas vel principia, sub absoluto *pa.*  
 esse considerat. Vir iste doctissimus, quãdo de magnitudine lo-  
 quitur, quæ ab eo pariter nominatur absolutum principium, il-  
 lam distinguit, in virtualem, in corpoream; quæ dicitur Ma-  
 gnitudo molis, & in illam quæ in operationibus reperitur. *lib. 8. de Tris.*  
 Virtualis Magnitudo ( ex D. Augustini sententia à nobis in *cap. 7.*  
 cap. de Magnitudine allegata ) nihil aliud est, quam perfectio  
 essentia, qua perfectione aliquod vnum ab alio essentialiter dif-  
 fert, quæ alio nomine specifica vel Differentia magis propria  
 vocatur, quam idemmet Agrippa in cap. de Differentia sub  
 ratione eadem quoq; considerat, dum diuidit differentiam in  
 communem, propriam, & magis propriam: quod superfluum  
 est & vitium, cum prædicata hæc & priora habeant oppositam  
 naturam, & consequenter oppositum considerandi modum.  
 Et hoc etiam contra intentionem Lulli omnino videtur, qui *Sententia et*  
 dum definit Differentiam, inquit. Differentia est id, ratione *gripp. est con-*  
 cuius Bonitas, Magnitudo, &c. sunt rationes inconfusæ. Si intel- *tra Lull.*  
 ligeret ipse non de relatione, sed de re absoluta, nõ diceret: Dif- *Animaduert*  
 ferentia est id, ratione cuius Bonitas &c. sunt rationes incon- *sio.*  
 fusæ. Animaduertendus quoq; est ordo supra assignatus, cuius  
 cognitio non parum est utilis ad soluendum argumenta. Nec  
 minus principia hæc, omnibus & quibuscunq; entibus conue-  
 niunt, quam absoluta. Hæc cum digna scitu ac necessaria esse  
 arbitraremur, omittere nolimus, ne ignorantia vel negligenti-  
 a nota recta ratione nos studiosi criminari possent. Modo ex-  
 plicemus Differentiam. Differentia est id, ratione cuius radices *Differentia*  
 omnes & cætera entia sunt inconfusa & distincta. Quia radix *quid?*  
 ista est summæ utilitatis inter entia omnia, à qua omnis orna-  
 tus ac pulchritudo maxima dependet: non pigebit eius latissi-  
 mam naturam ostendere, vt discrimen omne vel diuersitatem  
 inter res omnes clarè & perspicuè cognoscatur. Tota Differen- *Differentia*  
 tia natura ad hæc capita reducitur .s. ad Diuisionem, Distin- *tria cap.*  
 ctionem & Nonidentitatem. Et ista tria sic ad inuicem sunt ordi- *Ords.*  
 nate .s. secundum est superius ad primum, & tertium ad  
 d. secundum est a. Diuisio propriè sumpta ( si improprie *Diuisio vbi*



*proprierepe-  
riuntur.*

*Quare diuisio  
non sit in  
animis?*

*Non idē ita-  
tus natura est  
quibus inue-  
niatur.*

*Distinctio  
ubi sit.*

*Octo distin-  
ctionū gene-  
ra.*

*Primum genus*

*Secundum  
genus.*

Generalissima genera, ad subalterna, & ad species, quatenus in sua inferiora diuiduntur) tantum inter partes materiales reperitur, siue partes illæ quantitatem habeant, siue non: distinctio autem inter has partes sic diuisas sanè inuenitur, & præterea in omnibus alijs rebus, siue creatis, siue increatis. Pater in diuinis est distinctus ab alijs duabus personis, & tamen non est diuisus ab illis; quia diuisio semper & in quocunque reperitur, notat imperfectionem, ac etiam in corporeis tantum inuenitur cuiusmodi non est Deus, distinctio vero si perfectionem aliquam non significat neque imperfectionem. Nonidentitas verò, est ad distinctionem superior, quia quæ sunt inter se distincta, pariter sunt, non eadem: non tamen sequitur: ea quæ sunt non eadem, esse distincta, quoniam Nonidentitas reperitur non solum inter positiua, vel affirmatiua, aut vera entia, sed etiam habet locum inter entia, quorum vnum est affirmatiuum & aliud negatiuum, vt inter esse & non esse: vnum positiuum & aliud priuariuum, veluti inter visum & cœcitatē; vnum verum & aliud fictitiuum, sicuti inter Petram & Chimæram; & etiam inter ea, quorum vnum actualiter existit, alterum vero nequaquam, quemadmodum inter Petrum, qui nunc est & Antichristum creandum, sed distinctio in his reperitur, quorum quodlibet positiuum est, vt puta inter Petrum & Paulum. Et licet pro negotio nostro, tam diuisio quam distinctio, & nonidentitas sint necessaria: attamen distinctio maiorem exhibet commoditatem, quia de raro entia negatiua, impossibilia ad existere, & priuariua veniunt considerata, quæ per nonidentitatem possunt seiungi, ideo de Distinctione & eius speciebus loquamur. Si tamen alijs partibus vti erit opus, earum natura ac essentia ex his quæ dicta sunt manifesta relinquitur. Octo distinctionum genera, & totidem identitatum, à Theologorū omnium Principe subtilissimo Scotto sunt excogitata: quorum vsus in scientijs quibuscunq; est valde necessarius, pro veritate indaganda & falsitate cognoscenda. De distinctionib; statim erit sermo, sed de identitatibus, in sequentibus, vbi tractabitur de Concordantia. Primum distinctionis genus vocatur distinctio rationis, quæ à rationali potentia originem ducit, in quantum eandem rem ab illamet distinguit, secundū alium & alium considerandi modum. Certum est, quod homo in propositione aliqua cōsideratus vt subiicitur, & vt prædicatur, à seipso distinguitur, quemadmodū & prædicatū à subiecto, nō reali distinctione, quia idem à seipso realiter dividi non potest; igitur rationali, quoniā talis distinctio solū rationis beneficio est iauenta. Secundum genus est, distinctio ex natura rei: quæ inter illa inuenitur, de quib; contradictoria prædicat: verè prædi-



predicantur, vel nata sunt prædicari, nullo intellectu concurren-  
 re, ob eorum talem naturam, sicuti potest dici (inquiunt  
 Scotistæ & bene) de Intellectu Dei, & Voluntate. Intellectus enim  
 Dei cum essentia diuina ad Filij generationem concurrat, & non  
 voluntas: & concurrere, & non concurrere sunt contradictoria:  
 inter intellectum igitur & voluntatem, distinctio ex natura rei  
 consurgit. Idem dicunt de Essentia diuina & relationibus  
 personalibus; quia diuina essentia tribus diuinis personis  
 communis existit, non autem relationes personales, ergo ex rei  
 natura illa ab his distinguitur. Nec desunt in creatis infinita  
 exempla, quæ breuitatis gratia omittimus. Tertium genus est,  
 distinctio formalis: & inter illa est, quorum vnum aliud non  
 includit in primo modo dicendi per se, & hoc modo superius  
 quodlibet ab inferiori est distinctum, & non è contra; vel illa,  
 quæ habeat diuersas definitiones, descriptiones, vel varios  
 conceptus à parte rei, hac distinctione sunt distincta, sicuti ho-  
 mo & sua risibilitas. Quartum genus est, distinctio modalis,  
 quæ oritur inter essentiam rei alicuius, & suum modum in-  
 trinsecum: quæ de facili potest inueniri inter albedinis essen-  
 tiam & gradus eiusdem perfectionales: vel inter essentiam ca-  
 liditatis, & suos gradus: vel inter Dei essentiam & infinita-  
 tem (hoc verum præsupponendo, quod infinitas sit modus in-  
 trinsecus in Deo, vt omnes ferè Scotistæ pari consensu affir-  
 mant) vel inter vnum modum intrinsecum & alium, vt inue-  
 nitur inter gradus albedinis & eius existentiam. Quintum ge-  
 nus est distinctio realis, quæ consurgit ex re & re. Res in pro-  
 posito accipitur pro eo omni, quod potest corrumpi & destrui  
 alio remanente & è contra, vt albedo, quæ potest destrui subie-  
 cto remanente, realiter à subiecto distinguitur, idem dicatur de  
 nigredine & alijs accidentibus, & de omnibus substantijs pri-  
 mis. Illa quoque res nominantur, quorum vnum est generans,  
 & aliud genitum, & hoc modo intellexit D. Aug. quando inquit.  
 Nulla res seipsam gignit. Et secundum hanc loquendi formulam  
 in diuinis tres res inueniuntur, Pater scilicet, Filius & Spiritus  
 sanctus: quæ tres personales res abinuicem realiter distinguun-  
 tur. Sextum genus est distinctio essentialis, quæ in diuinis nullo  
 pacto inueniri potest, sed in creatis solum: & à reali distinctione  
 (quali) pendet, quia ea omnia, quæ realiter sunt distincta, (in  
 creatis) etiam essentialiter: fundatur tamen inter varias essen-  
 tias, quemadmodum potest intelligi de albedine, nigredine,  
 & alijs accidentibus, substantijsq; particularibus: quæ omnia  
 aliam & aliam essentiã habent. Relationes quoq; à suis subie-  
 ctis essentialiter distinguuntur, & è contra; excepta creatione  
 passiva, quæ realiter & fortè essentialiter est idem creaturæ.

*Intellectus  
Dei & Volun-  
tatis distin-  
ctio.*

*Essentia Deo  
& Relationibus.  
distinctio.*

*Tertium  
genus.*

*Quartum  
genus.*

*Quintum  
genus.*

*Lib. primo  
de Tri.*

*Sextum ge-  
nus.*



*Septimum  
genus.*

*Octauum  
genus.*

*Tres differē-  
tia species à  
Lullo assi-  
gnata.*

*Explicatur  
Lulli senten-  
tia.*

*Per sensuale  
quid.  
Per intelle-  
ctuale quid.*

Septimum genus est distinctio, quæ se totis subiectiuè à sco-  
tis nominatur, reperiturq; inter ea, quæ habent aliã & aliam  
existentiam vel subsistentiam, vt duo individua eiusdem spe-  
ciei, hac distinctioe sunt distincta: Et licet videatur idem esse  
cum reali distinctioe, multum tamen differunt, quia realis  
non requirit extrema, inter quæ fundatur, actualiter existere  
propria existentia, quod in hac distinctioe debet inueniri.  
Octauum & vltimum nominatur distinctio se totis obiectiuè,  
& inter illa sedem habet, quæ in nulla quidditatiua ratione, vel  
essentia, aut conceptu quidditatiuo conueniunt, vt sunt vltimæ  
differentiæ, de quibus aliquid non prædicatur essentialiter. In  
hoc genere entium sunt etiã repositæ entis passionēs. s. Vnum  
Bonum, Verum, Res, & Aliquid, & modi intrinseci: vt existen-  
tia, Finitas, Infinitas & similia. Per vltimas differentias (quas  
Scotus vocat æccitates) intellige id esse, per quod speciei spe-  
cialissimæ natura ad diuersa particularia contrahitur, quodque  
nomen sumit à nomine illo, quo tale particulare vocatur, sed in  
abstracto, vt Differentia vltima Petri, est Petreitas. Et istæ di-  
stinctiones omne genus entis circundant, omnesq; præter pen-  
ultimam conueniunt (suo modo) entibus à ratione fabricatis.  
Raymundus verò tantum tres differentia species constituit,  
quarum prior reperitur inter sensuale & sensuale, quemadmo-  
dum inter Hominem & Asinum. Secundam constituit inter  
sensuale & intellectuale, vt inter Asinum & Angelum. Tertia  
inuenitur intellectuale & intellectuale: vt inter Deum & An-  
gelum, Angelum & Animam rationalem. Dicitque Lullus,  
quod per has tres differentias res omnes sunt differentes, quod  
verissimum est, quoniam res omnis aut sensibilis & intelli-  
bilis est, quemadmodum sunt entia illa, quæ mouent intellectu  
ac eius actum terminant, vel intelligibilis tantum existit, sicuti  
sunt spiritualia omnia, & ea quæ tam per intellectus virtutem  
abstractiuam, quam collatiuam suam habent esse: quæ nomi-  
nantur logici vniuersalia, secundas intentiones vel entia rationis.  
Sub hoc quoque rerum genere cadunt relationes omnes, ac illa  
omnia quæ propriam speciem in virtutem intellectuam non  
producunt, sed per alienam intelliguntur. Per sensuale igitur  
Raymundus intelligit, quæ sensu possunt percipi & per sensum  
ab intellectu cognoscuntur, sed per intellectuale, quæ sola vir-  
tute intellectuua vel rationali appetitiua, apprehendi queunt.  
Nec dari potest aliquod ens, quin sensuale vel intellectuale sit,  
hoc modo intelligendo. Et istæ tres differentia ad Lulli men-  
tem assignata generalissimæ sunt, sub quibus priores à nobis  
explicatae continentur, quæ admodum sunt necessaria, vt in-  
tellectus in conceptibus vniuersalissimis constitutus, valeat ad



particularia vsque descendere. Agrippa multas assignat diuisiones, quas ex prædicamentis ac Topicis sumpsit, quæ licet bonæ sint; non satis tamen ad propositum faciunt. Nec deerunt diuisiones, si arborum distinctiones, ac earundem in partes diuisiones studiosi considerauerint.

*Diuisionum  
multiplicatio.*

## DE CONCORDANTIA.

EX his quæ de Differentia dicta sunt; non parum Concordantiæ natura euidenter erit, cum ea sit oppositorum conditio: quod vno cognito in alterius cognitionem deducat. Nec minorem Concordantiæ notitia affert utilitatem, quàm Differentiæ, quia sicuti per hanc verum à falso secernitur, & cauillosæ probationes diluuntur; sic per illam intentum probatur, & media ad argumentandum necessaria, inueniuntur. Operæpretium est igitur Concordantiæ essentiam explicare, quod satis commodè fiet, si dixerimus: Concordantia est id, per quod omnia entia in vno vel in pluribus concordant. Definitionis huius partes quia explicatione non egent, cum per se notæ existant, non examinabimus, sed magis multos Concordantiæ gradus assignabimus: vt ad libitum, vnusquisque entia inter se concordare possit. Et Concordantia hoc in loco auditur pro conuenientia quacunq; siue sit per identitatē, siue per mixtionem: vel vnionē, vel compositionem; vel demū per connexionem aut continuam aliquorum inter se cohærentiam: quæ omnia licet idem significare videantur; multum tamen differunt, si propriè considerentur. Identitas etenim inter quæcunque entia potest inueniri, vt magis manifestum erit, cum eius species hic inferius enumerauerimus: Mixtio autem si vera est, tantum inter quatuor elementa reperitur, quatenus alterata & vnà mixta vnum compositum constituunt, in quo illæ virtutes remanent: si verò est impropria; quæ mixtio per iuxta positionem appellatur, inter elementata inuenitur, & hac mixtione aqua & terra miscentur ad lutum constituendum. Unio verò latior est mixtione & compositione; quia hæc sine illa esse non possunt: ipsa tamen sine his inuenitur, vt patet de Natura humana Verbo diuino hypostaticè vnita, sine mixtione & compositione. Compositio in illis locum habet vbi vnum rationem habet actus, & aliud potentiæ. Connexa autē vel continua, quæ duo nunc pro eodem consideramus, illa sunt, quorū vltima sunt vnum. Multa sunt talia quæ Concordantiam referunt, quæ per identitatis naturam de facili possunt inuestigari: ideo nō extra propositum prolixissimus tantū identitatis species aliquot, & magis necessarias assignabimus. Octo enim cum fiat distinctionem species vel genera, tot & Identitatum debe-

*Utilitas concordantiæ.*

*Concordantia quid.*

*Concordantia qualiter hic accipitur.*

*Nota.*



rant esse : quia tot modis dicitur vnum oppositorum ; quos modis reliquum, tamen principales solum assignabimus : ne ob nimiam distinctionem vnius identitatis ab alia mens iuniorum confundatur. Identitas prima est rationis, qua illa sunt idem, quæ ab intellectu solitariè considerantur, & sic individuū quodlibet vel aliud ens in se consideratū, quatenus nullam habet relationem vel respectum nec realem nec ratione fabricatum ad aliquid aliud, hac identitate sibi ipsi idem est. Et hæc identitas distinctioni rationis aduersatur. Identitas formalis quæ secundæ distinctioni superius declaratæ opponitur ; inter illa reperitur quorum vnum sine alio esse nequit, & sic superius omne idem formaliter est cum suo inferiori, siue prædicatum sit simplex vel complexum, quemadmodum respectu definiti definitio est. Et hæc est subtilissimi Scoti sententia, sicut in multis locis videri potest, & præcipuè in lib. 4. sententiarum dist. 12. q. 1. Illa etiã hac identitate sunt eadem : quorum vnum concipi non potest sine alio, & hoc modo inferius omne identificatur suo superiori : quod manifestare videtur Scotus, quando inquit. Voco autem identitatem formalem, vbi illud quòd dicitur sic idem, includit illud ; cui sic est idē in ratione sua formali, & per se primo modo. De reali identitate pauca dicturi ; Illa sic eadem esse dicimus, quorum vnum non potest sine alio esse, nec ab illo separari absq; contradictione maxima, dum modo vnū non habeat rationem generantis, & aliud geniti, quod animaduertere volumus ; ne aliquis existimaret ; nos inter diuinas personas identitatem realem ponere. Se totis subiectiuè aliqua sunt eadem, quæ in aliquo communi conueniunt, quod ad illa determinatur per differentias formales : & hoc modo species omnes sub eodem genere contentæ, siue genus illud sit propinquum, siue remotum, sunt eadem. Quia verò parua extat differentia inter identitatem formalem, modalem, & ex natura rei ; & inter essentialem, se totis subiectiuè, & se totis obiectiuè, ideo de omnibus mentio non est facta. Qui vult harum differentias cognoscere, Scotistas consulat. Raymundus verò, tres tantum identitates vel concordantias, inter entia reperiri putat : prima quarum est inter sensuale & sensuale, qua concordantia ignis & aer in caliditate concordant : & aqua ac terra in frigiditate. Inter sensuale etiam ac intellectuale est concordantia, quemadmodam cognoscere possumus multis exemplis, sed hoc vnico præcipuè ; quo anima rationalis & corpus corruptioni obnoxium, concordant ad vnum hominē constituendum. Optima tamen est inter intellectuale & intellectuale concordantia, veluti de intellectu & voluntate potest cognosci, quæ ob eorum spiritua-lem naturam non tantum in essentia conueniunt, sed etiam in

*Identitas ra-  
tionis quid?*

*Identitas for-  
malis quid?*

*Identitas se-  
ntis quid?*

*Identitas se-  
ntis quid?*

*Identitas se-  
ntis quid?*

*Ray. tres Cō-  
cordantia.*



operationibus, quia quod voluntas acceptat vel refutat, idem intellectus cognouit. Hoc semper animaduertendo: quod sensuale accipitur pro illa re, quæ sensu prius cognoscitur, & intellectu posterius: sed per intellectuale id tantum consideratur: quod ab intellectu quocumque modo cognoscitur. Ad has concordantias vel secundum Lullum assignatas, vel secundum Scotistarum subtilitates, concordantiarum omnes proculdubio reducuntur: verum si numerum infinitum harum identitatum tibi comparare volueris poteris hoc uti medio: discurrendo videlicet per quinque prædicabilia, per decem prædicamenta, per octodecim prædicata vel radices Lullii. & demum per formas: idem obseruare poteris ad multiplicandum quodecumque prædicatum, tam absolutum quam respectiuum, recurrendo etiam ad nouem subiecta & regulas vel quaestiones.

*Modus fabricandi infinitas identitates.*

## DE CONTRARIETATE VEL Oppositione.

**N**ON est opus multa expendere in declarando quid sit oppositio, cum à Differentia vel Distinctione, de qua supra locuti sumus, non multum sit diuersa: nonnulla tamen adducemus ut huius radicis natura magis atque magis nota fiat. Contrarietas sic definitur. Contrarietas est quorundam mutua resistencia. Pro cuius definitionis explicatione scire oportet: hic non loqui nos de contrarietate illa propria, quæ inter quatuor primas qualitates inuenitur: quoniam in omnibus entibus, nempe rationalibus ac realibus locum habere non potest, neque de ea intelligendum est, de qua Antonius Andreas loquitur: cui sex proprietates conuenire testatur, quamque strictam oppositionem vel contrarietatem vocat. Sed hic Contrarietas consideranda est pro quacunque oppositione, quatenus vnum alteri opponitur; siue mediata vel immediata: complexè vel incomplexè. Nec imaginari debes eandem esse rem cum Differentia: quia Differentiam consideramus, ut per eam entia inconfusa remaneant: Oppositionem autem ut non solum res distinguantur, sed etiam inter se quandam pugnam habeant. Secus etenim rationalis consideratur; pro ut ab irrationalitate distinguitur; & quatenus irrationalitati opponitur, quia oppositio repugnantiam dicit, & negat, id posse fieri, quod eadem res secundum idem & simul opposita in se habeat; distinctio verò in eodem ac simul inueniri potest. Insuper oppositio vera inter ea esse dicitur, quæ imperfecta aliquo modo sunt; distinctio autem etiam in summè perfectis est, quemadmodum dicere id possumus de Deo, in quo distinctorum genera

*Contrarietas quid?*

*De qua contrarietate intelligatur. Lib. 10. Metaph. q. 6.*

*Distinctio contrarietatis à differentia.*



quam plurima repertiuntur, ut patet optimè speculari. Oppositionis species tres à Lullo assignantur, videlicet inter sensuale & sensuale: sicuti inter ignem & aquam, ratione qualitatuum primarum: inter sensuale & intellectuale; sicut inter corpus & animam rationalem: quoniam anima spiritualis est, non autem Corpus: & inter intellectuale & intellectuale, quemadmodum de Angelo bono ac malo dicere possumus. Ex sententia tamen Logicorum duæ sunt oppositionis species: una, quæ inter complexa reperitur; & altera quæ incomplexis accommodari potest: prior quadruplex est: quia & quatuor sunt propositionum genera oppositionem admittentia: quorum primum contrariarum est: Secundum contradictoriarum: Tertium subcontrariarum & subalternarum: quartum, quæ omnia hæc duo præsupponunt. scilicet quod propositiones aliquo istorum modorum pugnantes prædicatum idem ac subiectum participant & secundum ordinem eundem. Incomplexorum oppositio quoque quadruplex est nempe Relatiua, Contraria, Priuatiua & Contradictoria, & differentia est maxima inter Relatiuam & Contrariam oppositionem ex una; & Priuatiuam ac Contradictoriam ex altera: quia priores duæ vtrique extrema positiua requirunt; posteriores verò alterum tantum positiuum: veruntamen multoties oppositiones istæ confunduntur, & earum propriam naturam rei non retinent, & sic oppositio Contraria aliquando pro priuatiua consideratur & è contra. Contradictoria quoque interdum in duobus fundatur: quod propria oppositio Contradictoria minimè potest pati. In infinitum poteris oppositiones multiplicare, si accipiendo extrema Distinctionis, Alietatis, Diuersitatis, Nonidentitatis ac differentiarum ea considerabis per aliquod proprium, vel qualitatem, aut simile tale ad inuicem pugnare.

### DE PRINCIPIO.

NON paruus esset labor noster, cum exigua utilitate coniunctus, si multas principij acceptiones recensere velle mus, ex sententia Aristotelis & Auerrois in primo & secundo Physi. ac quinto & duodecimo Metaphys. quæ consideranda relinquimus curioso Lectori. Satis erit Lulli intentum explicare, qui definiendo Principium inquit. Principium est id, quod se habet ad omnia in ratione alicuius prioritatis; & enumerando eius acceptiones dicit. Principium generale duobus modis intelligimus, substantiale scilicet & accidentale; per substantiale efficientem causam, materialem, formalem, ac finalem intelligit: & per accidentale nouem accidentis prædicamenta. Non

Oppositionis species.

Oppositio duplex secundum Logicos.

Oppositio complexorum.

Oppositio Incomplexorum.

Confunduntur aliquando.

Multiplicatio oppositionum.

Aristot. & Auerr.

Principium quid.  
Principium duplex.



fuit Lulli intentio, quod hæc tantum nominata, rationem principij haberent, aliter ad omnia entia Principium non esset vniuersale, cum in Deo accidentia non sint, nec aliquis effectus reperitur dependens à causis memoratis, quia effectus natura saltem est sua causa posterior, & ab ea essentialiter distinctus, quod in diuinis reperiri non potest: ibi tamen principium est Pater, nempe respectu Filij, & Pater ac Filius respectu Spiritus sancti. Dicere igitur oportet Lullum Principium considerasse, quatenus est ratio alicuius originis realis vel intentionalis: duæ ultimæ particulæ in hac nostra de principio consideratione superflua non sunt existimandæ; quoniam per priorem Principium illud habetur quo principatū omne, realiter suam essentialitatem ab alio habet, vel in naturæ identitate, aut in distinctione. Per posteriorem verò, ut puta (vel intentionalis) Principium omne habetur cognoscendi, quemadmodum vniuersalia vel transcendentia esse dicuntur, quæ in suis inferioribus inveniuntur. Accidentia quoque communia, non ut informant subiectum, sed in quantum ex eorum cognitione rei essentia cognoscitur principia intentionalia possunt dici; de quibus Arist. inquit. Accidentia magnam partem conferunt ad cognoscendum quod quid est. Quæ verba secundum Scotum sic intelliguntur. Ex multorum accidentium communium cognitione, virtute intellectus discurrentis, deuenitur in cognitionem alicuius proprii, quodq; in suæ causæ notitiam ducit, differentia videlicet essentialis, à qua originem trahit. Et hoc modo principium considerando, ens quodlibet potest taliter nominari, respectu ad minus suæ operationis. Opinari forsitan aliquis posset, hanc radicem à Potestate & Virtute non esse distinctam, quæ tamen multum ab illis differt, quia Principium relatio est quædam, Potestas verò ac Virtus absoluta sunt. Et quia de causis supra facta est mentio, breuiter quid illarum quælibet sit, explicabimus. Efficiens causa illa est, quæ actione sua efficit effectum. Materialis est, quæ se ipsa in ratione receptiui effectum producit. Formalis verò illa dicitur, quæ se ipsa ponit in esse effectum, in ratione informantis. Finis verò, (qui & causa finalis potest aliquo modo vocari) est, qui mouet agentem vel efficientem metaphoricè. De his causis multa essent dicenda, quæ Diuinus Scotus solito suo more subtiliter trutinat, tam in secundo quàm tertio lib. & quinto Metaphysicorum quibus in locis Arist. naturam causarum inuestigauit, quemadmodum & in secundo Physicorum.

*Quomodo  
Lullus i prin-  
cipium acce-  
perit.*

*In lib. 1 d  
Anima.  
In ult. q.  
lib. 2. l. 107.*

*Causarum  
definitiones.*

*Diuinus  
Scotus.*



## DE MEDIO.

*Medij defini-  
tione.*

*Nota.*

*Omne ens  
habere potest  
rationem  
medij.*

*Medium  
triplex.*

*Quare me-  
dij mensura  
discatur.*

**M**EDIUM sic definitur. Medium, est ratio, qua extre-  
ma aliqua inter se, modo aliquo sunt connexa, quod po-  
test inter sensuale & sensuale inueniri: inter sensuale &  
intellectuale: & inter intellectuale ac intellectuale. In defini-  
tione posuimus (modo aliquo) quia non requiritur vt medij  
coniunctio sit semper realis & actualis, sed quandoque inten-  
tionalis ac potentialis vel aptitudinalis: Et sic dicimus intelli-  
gibilia à ratione fabricata, intellectu actualiter coniungi, medi-  
ante actu intelligendi actuali. Illa verò quæ potentia sunt in-  
telligibilia, per hoc medium. s. per potentialem intellectioem  
intellectui coniunguntur potentialiter vel aptitudinaliter. Nec  
poterit aliquod ens inueniri, quin aliquo istorum duorum mo-  
dorum alteri per medium vnum aut alterum coniungi possit;  
non tamen negamus, alia media dari, quia statim ostendimus  
secundum Lulli mentem, tria esse quæ inter entia reperiuntur.  
Sed vt dubia omnia tollerentur, placuit quædam manifestare,  
quæ si non omnibus vtilia erunt, ex intellectus imbecillitate  
eueniet. Medium secundum Lullum triplex est, s. coniunctio-  
nis, mensuræ, & extremitatum. Medium coniunctionis, est  
respectu illorum, quæ aliquo modo sunt coniuncta, siue ambo  
sint sensualia vel vnum tantum vel ambo intellectuala. Iuxta  
primum sensum **Quantitas**, est medium, quo quatuor substan-  
tiæ vnitur. Secundo modo autem corporis humani organiza-  
tio, est medium, quo rationalis anima ei vnitur. Et mors est  
medium, quo rationalis anima ei vnitur. Et mors est medium,  
quo homo Deo vel Dæmoni coniungitur. Tertio verò modo  
actus spiritualis potentia, obiectum per intelligibilem speciem  
repræsentatum, cum eadem potentia connectit. Medium aliud  
dicitur mensuræ, de quo Raymund. hæc ponit exempla, in-  
quiens: Sicut centrum, quod est in medio loco circuli; & cale-  
facere, quod est in medio calefacientis & calefactibilis: intel-  
ligere medio intelligentis & intelligibilis: numerus binarius  
in medio vnius & trium; & actus in medio potentia & obiecti.  
Et nota, quod sicuti mensura ex intentione Aristot. in pluribus  
locis est notior ac certior mensurato: sic medium mensuræ ta-  
le dicitur: quia per eius cognitionem in extremorum noti-  
ciam deuenitur. Per actum etenim potentia alicuius, in eius-  
dem potentia ac obiecti cognitionem venire facile est, cum ex  
potentia ac obiecto gignatur, & consequenter naturam vtro-  
rumque participet. Tertia species medij (ait idem Lullus) est  
medium extremitatum, sicut linea, quæ est inter duo puncta;  
& amplum, inter longum & profundum. Alia quam plurima  
exempla inueniri possunt tam de hac medij specie, quam re-

liquis



liquis assignatis, discurrendo per omnia subiecta, prædicata & formas.

## DE FINE.

NONNULLI Principia respectiua, vel radices considerantes sub eorum esse absoluto & non relatiuo radicem hanc de Fine, ab illa quæ Gloria nominatur, distinguere non possunt, cum idem realiter penitus sint, sed nomine tantum diuersa: nos verò de facili inter has duas radices discrimen inuenire possumus: quia nouem ultimas sub respectiua ratione contemplamus. Differt igitur finis à Gloria: quia Gloria pro fine absoluto consideratur: Finis verò pro respectu, Gloriæ superaddito. Finis sic defini potest: Finis est ratio, qua entia omnia terminantur vel finiuntur. Quoniam hæc definitio clara est, ad Finis species contemplandas deueniendum est. Plures sunt Finis species s. ultimatus & non ultimatus: Finis cuius gratia, & quo: Finis qui tantum finis est, & qui causa finalis nominatur: quidam per efficientem ad esse deducitur, quidam verò qui ab efficiente præsupponitur: aliquis absolutus & quidam respectiuus: & plures aliæ sunt species, quæ sparsim & vbique in Philosophorum ac Theologorum scriptis inueniuntur. Secundum Lullum tres tantum sunt, quarum prima dicitur, terminationis: & hoc fine entia omnia qualitercunque considerentur, videlicet vel essentialiter, vel accidentaliter, vel secundum operationes terminata sunt. Secunda species dicitur Finis negationis: quo illa quæ per corruptionem quomodocunque consideratam suum esse perdunt, finiuntur. Tertia & vltima nominatur, priuationis, quia priuatio sub ratione finis terminat. Et hoc modo ad cæcitatem visus terminatur, & ad surditatem auditus. Hisque tribus speciebus Finis, vel vna aut duabus, entia omnia terminantur, vt discurrenti per arbores omnes ac earum partes satis potest patere.

## DE MAIORITATE.

QUAMVIS aliquod vnum ens alio maius dici possit, ratione aliquot prædicatorum absolutorū, vel respectiuorum, aut formarum, vel denique vltimi subiecti, sub quo nouem accidentis prædicamenta continentur, tres tamen Maioritatis species assignare possumus, ad quas omnes aliæ reduci possunt. Maioritas quædam inuenitur inter substantiam ac substantiã, quæ attenditur penes maiorem & minorem essentiæ perfectionem: & sic Homo est Asino maior. Alia inter substantiam & accidens; quemadmodum est inter Hominem ac eius



quantitatem. Et quadam alia inter accidens & accidens datur, sicuti exemplificari potest de omni qualitate per comparationem ad quantitatem, & de omni accidente spirituali respectu corpori. Nec aliud est Maioritas, quam ratio, qua aliquo dictorum modorum vnum est alio maius, vel pluribus. Et hoc in loco substantia accipitur non tantum pro corporea, sed etiam spirituali ac infinita.

*Maioritas  
quid.*

### DE ÆQUALITATE.

ÆQUALITAS in hoc loco accipitur, non ut est passio quantitatis prædicamentalis, sed quatenus cum ente conuertitur transcendentissimo: & in hoc differt à Concordantia: quia Æqualitas est eius finis. Æqualitas inuenitur inter substantiam & substantiam; sicuti inter indiuidua substantialia eiusdem speciei: inter substantiam & accidens, sicut quantitas, quæ extensiuè tam magna est, qualiter est corporalis substantia sub ea existens: & inter accidens & accidens; ut inter caliditatem in quarto gradu, & frigiditatem tot graduum. Quibus præmissis, Æqualitatis natura manifesta relinquitur. Eius tamen breuem definitionem assignabimus, quam proculdubio vnusquisque acceptabit: quia omni ex parte vera & clara est. Æqualitas ergo ratio est, qua entia sunt inter se æqualia.

*Æqualitas  
ubi inueniatur.*

*Æqualitas  
quid.*

### DE MINORITATE.

QUONIAM Minoritas & Maioritas relatiua sunt: quorum vno cognito, alterum quoque cognoscitur, ob id non multa verba expendere licet. Tres itaque Minoritatis species sunt, inter substantiam. s. ac substantiam: inter substantiam & accidens: & inter accidens ac accidens. Et sicuti Maioritas quadam immensitatem significare videtur, sic ex opposito Minoritas propemodum nihilo est vicina. Quæ cum alijs respectiuis radicibus omnes entium species circuit. In diuinis tamen nec Maioritas neque Minoritas locum habet, quia istorum vterque imperfectionem maximam significat. Hæc de radicibus tam absolutis quam respectiuis dicta sint.

*Tres Minoritatis  
species.*

### DE NOVEM CATEGORIIS

#### *Transcendentibus.*

DECLARATIS principijs absolutis & respectiuis, quæ in vna quaque arbore pro radicibus sunt firmata, restat ut secundo loco de folijs, quæ omnibus arboribus pro fructuum conseruatione, ac totius arboris ornamento sunt communia, pertractemus.



mus. Et licet aliquantulū à tramite Lulli declinaverimus in modo tradendo, quo tam creatis quàm diuinis arboribus hæc omnia folia conuenire possint: quæ apud Peripateticos nouem accidentis prædicamenta vocantur: ignoscant tamen nobis Lulli amatores, quia id obseruare uoluimus, vt conceptuum & argumentorum longior series in quacunque materia haberetur. Hæc etenim transcendentissima considerare necesse est; vt non solum de reali quolibet Ente & rationali prædicari possint, quæ respectu Entis transcendentissimi inferiora sunt; sed de principiis quoque tam absolutis quàm respectiuis, quæ cum Ente illo conuertuntur, & de quibus satis supra egimus. Quibus præmissis, ad vniuscuiusque contemplationem veniendum est.

*Autor à Lullo declinat.*

*Quare autor à Lullo declinat.*

*Qualiter considerari debeant ista categoria.*

## DE QUANTITATE TRANSCENDENTISSIMA.

**Q**UANTITAS est ratio, qua unum quodque quod est extra nihil, quantum est. In huius quantitatis descriptione non absque posuimus dictiones illas (extra nihil) vt descriptio hæc, entibus tam reali quàm rationali transcendentem sumptis, conuenire commodè possit. Et ne per incognita procedatur, nosse oportet, quod sicut datur Ens quoddam transcendens & reale, illud nempe quod in DEUM & creaturam diuiditur: similiter ens transcendens & rationale debet dari, quod in ens illud rationis diuidatur, quod Deo conuenit & creaturæ. Certum est enim, & Theologis satis notum: Deum ad creaturam variis modis referri: videlicet, sub ratione creatoris, redemptoris, prædestinantis, reprobantis, & his similibus centum modis, quæ relationes in ipso non sunt reales, sed rationales: aliàs ad creaturæ variationem & Deus ipse mutaretur, quod impossibile est. Cum ergo rationales sint, nec sub reali ente contineantur; nec minus sub Relationis prædicamento, quia nihil quod Deo conuenit in prædicamento potest esse, tum etiam, quia tunc non rationales essent, sed reales: igitur diuisio illa Entis congruè posita est, de cuius membris & de omnibus quæ sub his continentur, non tantum quæritas, sed qualitas, ratio & cetera dici possunt. \*Et Quantitas hic auditur pro rei perfectione essentiali, quam non debes imaginari esse ipsam essentiam, sed gradus quosdam essentialis perfectionis, qui à differentiis formalibus vel modis intrinsicis pullulant; qua essentiali perfectione omnia entia participant, si non formaliter & secundum eorum essentiam, saltem per identitatem ad aliud: quod dicimus propter diuinas relationes personales, quæ secundum

*Quantitatis definitio.*

*Duplex ens transcendens assignatur.*

*Variis modis Deus ad creaturam referatur.*

*Quare relationes Dei ad creaturas non sint reales.*

*\* Quid per quæritatem intelligatur.*

*Origo graduum essentialium ostenditur.*

*Non omnia entia formaliter*



*ser perfecta  
sunt.*

*Quare rela-  
tiones perso-  
nales nō sint  
perfecta for-  
maliter.*

*Modi intrin-  
seci pariter  
nō dicunt per-  
fectionem.*

*Quantitas  
est continua  
et discreta.*

*Continua quid  
sit.*

*Quid sit  
quum ARE et  
BILE.*

*Discreta quā-  
ntitas quid sit.  
Exemplū de  
discreta quā-  
titate.*

*Quare intel-  
lectus Dei nō  
sit principium  
spirandi et  
voluntas gene-  
randi.*

*Quantitas  
discreta in 3  
personas diui-  
nas repers-  
itur.*

Scotistarum verissimum dogma, nec perfectionem, nec im-  
perfectionem significant. Si enim in Patre diuino Paternitas  
perfectionem argueret, cum in filio & Spiritu sancto non repe-  
riatur: Filius & Spiritus sanctus non æquè perfectione summa  
ac simplici fruerebatur qua Pater: nec imperfectionem arguit,  
vt clarè patet; prout verò eæ relationes in diuinam transeunt  
essentiam, tantæ sunt perfectionis, quantæ Dei essentia; & pro-  
portionabiliter idem dici forte posset de modis intrinsecis, qui  
cum intelligi haud possint absq; his, quorum sunt modi, nec  
propriam habere perfectionem dicuntur. De his aliquid dicere  
putauimus necessarium esse, ne intellectus in applicatione ad  
singularia, errare possit. Sed ad principalem nostram de Quan-  
titate contemplationem redeunt, cum Lullo quas (quasi)  
species ponimus, quarum prima continua nominatur, altera  
discreta. Continua quidem est in quantum perfectio copulat  
vnâ potentiam proximam, actum & correlatiuum; vt; si quis  
hominis essentialem perfectionem contempletur, de qua est  
præsens nostra consideratio, si statim ad actum reducatur, po-  
tentiam proximam vocamus, eadem verò proxima potentia  
in actum deducta, dum est in via ad hominis productionem, a-  
ctus vocatur, & ipsum productum appellare debemus terminū  
potentiæ, vel producentis correlatiuum. Quæ tria à Lullo ac-  
cipiuntur mille in locis pro IVO, ARE & BILE; quorum pri-  
mum respondet potentiæ proximæ, secundum actiui, & ter-  
tium correlatiuo. Discreta autem Quantitas nascitur à diffe-  
rentia, quæ est inter perfectionem vnus entis & alterius. Cu-  
ius rei dabimus exemplum, in his, quibus hæc quantitas repu-  
gnare videtur, vt Lulli studiosus tutò possit vnicuiq; enti appli-  
care. Diuinus intellectus & voluntas talis sunt naturæ, quod si  
definiri possent, aliam formalem intellectus rationem haberet,  
& aliam voluntas: sed quia definitione nequeunt à nobis in-  
telligi, eorum tamē actus necessarij illud satis declarant & ma-  
nifestant; quorum vnus est filij generatio, qui intellectui con-  
uenit; alter verò, Spiritus Sancti spiratio, qui diuinæ voluntati  
attribuitur: qui tamen actus sic propria determinantia princi-  
pia cum essentia requirunt, vt vnus nempe, generare, à volun-  
tate, & alter scilicet spirare, ab intellectu non possit esse. Nec  
aliam rationem inuenire quis poterit, nisi quia diuini intelle-  
ctus & voluntatis alia & alia est ratio: & in hac distinctio-  
ne dis-  
creta quantitas consistit. Idem de tribus diuinis personis cen-  
seas, quæ licet in eâ ratione, qua in essentia conueniunt, non  
sint discretæ: tamen in quantum per notionales proprietates  
distinguntur, discreta quantitas eis competit: quæ non per  
continui diuisionem causatur, sicuti prædicamentalis, sed u-  
numquodq;



numquodq; ens naturaliter sequitur. Et hæc est tantæ latitudi- *Latitudo*  
nis, vt & quantitati ipsi prædicamentali conuenire dicatur: sed *quantitatis.*  
prædicamentalis, finitis tantum & limitatis rebus, de qua A-  
ristot. vide in prædicamentis.

## DE QUALITATE.

POST Quantitatis considerationem sequitur Qualitatis con- *Qualitatis*  
templatio, quam sic describere placet. Qualitas est vnus- *descriptio.*  
eiusque entis secundaria perfectio, siue propria, siue appro-  
priata. Et quia huius descriptionis partes declaratione egent, id  
facere non pigebit Dicitur perfectio secundaria, vt qualitatis *Diuina in-*  
& Quantitatis discrimen cognoscatur. Satis enim ex dictis in *tellectus &*  
capite de Quantitate patet, ibi essentialem perfectionem con- *Voluntas nõ*  
siderari: hæc autem illam, quæ ab hac originem trahit, quam *sunt attributa.*  
aptè propriam nominare possumus: sicuti in Deo attributa, *ta.*  
quæ ab immenso Deitatis pelago pullulari dicuntur: in quo-  
rum numero diuinus intellectus & voluntas nequaquam sunt  
ponenda, vt quidam autumant: cum de essentia Dei absque  
dubio sint, & verius, quam intellectus & voluntas creaturæ, de  
eiusdem creaturæ substantia: quia rationales creaturæ per *Appropriata*  
participationem sunt tales; Deus autem per essentiam. Appro- *perfecti sunt*  
priatæ quoq; perfectiones in Deo reperiuntur, quæ licet natu- *in Deo.*  
ra sua sint communes tribus personis: tamen propter aliquid  
vni personæ conueniens, & non alteri, quædam appropriatæ *Nota de ap-*  
sunt. Sicuti de potentia dicimus, quæ Patri attribuitur cum *propriatis.*  
sit principium totius trinitatis: Filio, sapientia appropriatur;  
quia per modum intellectus à Patre generatur, cuius intelle-  
ctus sapientia est subsistens summaque perfectio: Spiritui ve-  
rò Sancto, bonitas fit appropriata; qui à voluntate spiratur,  
quæ diuinam essentiam respicit tanquam summum bonum.  
Nec desunt in creatis exempla; in diuinis tamen, hæc esse  
vera; declarare volumus: vt liquidò cognoscatur, hæc, de  
quibus loquuti sumus & loquuturi transcendentissima esse,  
atque cuilibet enti conuenire. Vnius cuiusq; rei Qualitas pro-  
pria, quæ ab essentia eiusdem originatur, perfectio secundaria  
est, vt in homine risibilitas: in equo hinnibilitas: in igne cali-  
ditas: in aëre humiditas, & in aliis quibusuis propriæ pas-  
siones. Appropriatæ verò secundæ perfectiones sunt, quæ  
per aliud aliis competunt, vt: calor in aëre, qui ignis virtute  
inducitur: aquæ humiditas, quæ ab aëre causetur. Et simi-  
liter potest de talibus dici. Hinc sequitur, quod qualitates  
omnes tam primæ quàm secundæ in elementatis corporibus  
appropriatæ sunt; & hoc ratione Elementorum, quæ in ipsis



*Qualitatis  
cognitio ne-  
cessaria.*

Virtualiter, (vt Scotum sequar) continentur. Huius qualitatis cognitio maximè necessaria est in Lulliana arte, vt quæ per definitionem cognoscere nequimus, per descriptionem saltem valeamus intelligere, eam constituendo per Quantitatem de qua diximus, & Qualitatem, de qua loquimur: applicando hæc omnia, pro vt decet, infinite Deo, sed finite creatis, arborum radicibus, vt radices sunt; truncis verò vt potètia sunt branchæ, rami, folia, flores & fructus. Sed ad Relationem sermonem dirigamus.

## DE RELATIONE.

*De relationũ  
fundamento  
& termino.*

*Relationis de-  
finitio.*

*Diuisio rela-  
tionis.*

*Quæ mutua  
sunt.*

*Quæ non mu-  
tua.*

*Sub reali re-  
latione qua  
contineatur.*

*In 5. metaph:  
ca. de Ad ali-  
quid.*

*Quare rela-  
tiones ratio-  
nis in Deo  
sint tales.*

*Relationes  
creata.*

**R**ELATIONUM cognitio satis difficilis est: quia ob eorum debilem essentiam fundamentum requirunt, à quo habent esse; & terminum, quo suum completum esse consequuntur, qui terminus in substantiis & absolutis non est correlatiuum, sed absolutum, in quo correlatiui relatio fundatur: quæ de facili non cognoscuntur, & ipsam relationem quasi obscurant. Sed ita Relatio ad quascunque relationes communis definitur. Relatio est ratio, qua vnum ad aliud refertur, vt de paternitate & filiatione ostenditur: hæc etenim duæ relationes faciunt, quod suppositum vel persona vna aliam respiciat. Vt absolutum patris illud filij per paternitatem, & filij absolutum re ètè patris absolutum intuetur per filiationem: quæ Relatio si diuidatur per realem & rationalem, sub reali infinite Relationes primò comprehenduntur, siue mutua sint siue non; mutua vt identitas, æqualitas & similitudo, quæ in Dei essentia, eiusque summa perfectione, & attributis fundantur: siue non mutua, sicuti paternitas & generatio actiua, filiatio & spiratio passiua, actiua spiratio Patri & Filio in esse cõstitutis (quasi) adueniens, & spiratio passiua qua Spiritus sanctus in esse personali cõstituitur, sustinendo cum D. Thoma Franc. May. & Scoto, personas diuinas relatiua & non absoluta proprietate in esse personali constitui. Sub reali quoque relatione considerantur relationes illæ, quas logici considerant atq; distinguunt in relationes æquiparantia suprapositionis & suppositionis, quæ reducuntur ad illas quas Arist. enumerat. Si verò aliud membrum primæ diuisionis accipiatut, quædam pariter in Deo reperiuntur, de quibus supra mentionem fecimus, in capite de Quantitate; quæ ideo non dicuntur Relationes rationis, quia ab intellectu fabricantur: sed quia non omnes condiciones eis conueniunt, quæ ad reale sunt requisitæ. De qua materia, si cupis arcana cognoscere, Scotistas consule. Quædam verò sunt creatæ, quæ ab intellectus actu dependent, vt identitas eiusdem ad seipsum; & distinctio eiusdem à seipso, prout idem in propositione à parte subiecti & prædicati



prædicati concipitur atq; prædicatum à subiecto est distinctum. Et harum relationum cognitio est valde necessaria, quia mediante Relatione & habitudine, (quam radices cuiuscunq; arboris habent ad truncum, & trunci ad branchas, & branchæ ad ramos; & sic de omnibus arborum partibus) earundem essentia cognoscitur.

*Relationum cognitio necessaria.*

## DE ACTIONE.

VT ad diuinas & humanas operationes, immanentes vel transeuntes conscendere possis: hanc breuem ipsius actionis notato descriptionem. Actio est respectus operantis ad operatum: non dicimus agentis ad passum, ne latissimus actionis fons in riuulum euadat. Agens enim cum passum respiciat, & in Deo nullum sit passum, cum imperfectionem arguat, nec agentis ad passum respectus esse potest: & tamen sunt ibi operationes ad productiones: operationes quidem, prout Deus essentiam intelligit, & tandem summè amat: productiones verò in quantum idem Deus, vt suppositum notat, tales operationes producit: quæ sic productæ, altera vocatur filius, & altera Spiritus Sanctus. Producit quoque Deus ab æterno creaturas in esse cogitatio & volitio, nec tamen passum possunt dici, cum idem sint realiter quod Deus. Et vt latiore differendi campum habeas, non tantum respectiuè ipsam actionem considerare poteris: sed etiam absolute, sicuti & nos considerauiamus, dum de productionibus & operationibus verba faceremus, distinguendo de actione immanente & transeunte tam in diuinis quam creatis: illo tamen sublato in huiusmodi actionibus, vt Deo attribuantur, quod imperfectionem notat: dependentiam videlicet agentis ad actum & e contra; & si quid aliud est quod imperfectionem notet. Nec diuersa actionum genera notabimus, vt logici, & phisici pandunt: sed tantum illud animaduertendū putauimus: nullum dari ens, cui actio aliqua non conueniat. Materiæ enim primæ actio conuenit, & alijs hoc ente debilioribus, si non realis, saltem intentionalis, prout obiecti rationem habet. Et quantum profit huius transcendentis cognitio breuib; explicari posse haud puto, cum à latissimis illis radicib; de quibus supra actionis medio, per omnes partes cuiuscunq; arboris diffuse, inde admirabiles fructus, tam creati, quàm increati, pullulent.

*Actionis descriptio operans.*

*Deus ab æterno producit creaturas.*

*Nullus datur ens cui actio non conueniat.*

## DE PASSIONE.

NON erit laboriosum, per ea, quæ de actione sunt explicata, & naturam passionis manifestare: cum mutuo actio



*Passionis de-  
scriptio.*

*Actio diuini  
non repu-  
gnat.*

*Actio est pas-  
sio apud Lul.*

& passio se respiciant, de qua non multa dicturi, sic eam descri-  
bimus. Passio est respectus operantis ad operatum; & passio  
hæc, si fas est, ut passio nominetur, diuinis non repugnat: quia  
productæ personæ producentem vel producentes respiciunt, ut  
iatis notum est: sine tamen dependentia aliqua. Apud Lullum  
actio per *ARE* notatur, & passio per *BILE*, per bonificare, bo-  
nitatis actio habetur, & per bonificabile magnitudinis, dura-  
tionis vel alicuius alterius radicis habetur magnitudinis & du-  
rationis passio. Nec minoris est utilitatis passionis cognitio,  
quam actionis, cum per illam, res vario modo determinatas,  
vel quasi qualificatas cognoscere possimus: & inde multos con-  
ceptus fabricare. Quæ de actione dicta sunt & de passione pro-  
portione quadam possunt dici, sic ergo tot erunt species vel pas-  
sionis genera, quot actionis.

### DE HABITU.

*Habitus quid?  
est quid pra-  
ter qualitatem  
significet.*

*Exempla.*

VELUT I reliqua prædicamenta ad omnia communissima  
considerauimus; ita & habitum considerare oportet. Ha-  
bitus ergo non est habitus ad habituum respectus, ut in Ca-  
regoriis inquit Logici; sed vniuscuiusque rei proprietas, qua  
habituum ordinatur ad opus. Hanc ultimam particulam  
ponere necessarium fuit, ne videretur habitus cum qualitate  
coincidere: conueniunt utique in hoc, quod habitus proprie-  
tatem dicit, tam propriam, quam appropriatam; sed ultra hæc  
connotat habitus operationem, quæcunque illa sit, quam qua-  
litas connotare non debet. Et ne exempla in diuinis & creatis  
relinquamus, quæ propositum nostrum firmant, & rem ipsam  
magis illustrant, hæc ponere voluimus. In Deo sapientia, bo-  
nitas, charitas, iusticia & similia attributa Deum habituant,  
omni remota imperfectone, quia secundum hæc, Deus vel ad  
intra vel ad extra operatur. Ad intra quidem Filium & Spiri-  
tum sanctum sapientia, bonitate & charitate producendo: ad  
extra vero, creaturis largiendo esse sapientia, bonitate & cha-  
ritate eadem nec non misericordia & omnipotentia. Et hoc  
modo bonitas omnes arboris partes habituat, imò & cæteras  
radices, ut operantes bonum producant. Et ita de magnitudi-  
ne, duratione & aliis intelligendum est per comparationem ad  
quodcumque, quod considerari potest. Sic ignis sua caliditate &  
siccitate habituat operatur. Sic aer, terra, aqua & cætera vel  
ex his constituta vel non; propriis vel extraneis qualitatibus  
affecta operantur. Patet ergo nullum posse dari ens, quin habi-  
tibus quibusdam, saltem vniuersalioribus decorari possit.

DE



## DE SITV.

**Q**UOMODUM positio vel situs in corporalibus partes inter se principaliter ordinat, sic situs, quem nos consideramus inter se ordinat essentialia perfectiones, secundarias, & habitus: ne id, quod præcedere debet, sequatur, & è contra. Optimus est situs inter essentialia, sicuti inter intellectum, voluntatem & memoriam, quæ Deo, angelo & homini conueniunt: quoniam voluntas in agendo intellectum præsupponit, quia nil volitum nisi cognitum, & memoria intellectum & voluntatem; intellectum, ut potentiã productiuam, sed voluntatem ut parentem cum prole copulare possit. In creatis quoque corporeis, materia formæ præsupponitur, quum natura saltem prius est perfectibile ipso perficiente, & in cæteris corpore expertibus: compositis tamen ex actu & potentia, vel ex genere & differentia, vel expositiuo & priuatiuo, situs & ordo reperitur: ne confusio, quam natura pati nequit, admittatur. Hinc Raymundo deuoti optimè animaduertant, ne cum confusione quadam, principia vel radices rebus applicent; quoniam, sicuti ab eo admirabili ordine sunt descripta, ut vltimum primum præsupponat, quamuis vnum cum alio aliquo modo conuertatur: ita & ipsi custodiant, ne quodlibet principium siue ad probandum siue ad improbandum, indifferenter assumant. Qualis autem sit inter principia illa ordo, ex his quæ de radicibus dicta sunt, satis constat, atque in commentarijs nostris in artem breuem latius declarabimus. Nec multos ordinis modos explicare modò oportet, quia in enumerandis formis, omnibus entibus communissimis, inter quas ordo numeratur, id fiet.

*Situs qualiter consideratur.*

*Situs inter essentialia.*

*Situs in creatis.*

*Animaduertentia.*

## DE TEMPORE.

**N**ON potest sanè assignari tempus reale quibuscunque entibus conueniens, cum eorum tantum sit mensura, quæ continuè instabilitati sunt subiecta, ac corruptioni obnoxia: inter quæ nullo modo Deus annumerari verè potest, nisi diabolica mens, ipsissimo Diabolo nequior, id non minus impiè, quàm irrationabiliter ac stulte cogitaret, cum & creature quædam in entium ordine reperiantur, quæ temporaneæ mutationi minimè subiacent. Angeli videlicet ac rationales animæ à corporibus proprijs exutæ. Quomodo ergo assequi poterimus intentum nostrum, qui volumus omnibus entibus has nostras latissimas categorias conuenire? Dicimus, ipsa experientia nobis insinuante, secundum modum nostrum cognoscendi, dat tempus quoddam omnibus entibus indifferens. Et ne impossi-

*Tempus Deo repugnat.*

*Tempus omnibus conueniens secundum.*



*modum no-  
strum consi-  
derandi.*

bilia videamus asserere, de Deo differendo tempus nostrum conuenire sic ostendimus. Certum est differentes operationes ad intra esse & æternas, quas tamen si catholicus explicare contendit, sub ratione præteriti vel futuri, quæ partes sunt tēporis, explicabit; inquit, Deus Deum genuit & generabit. Deus Antichristum ab æterno cognouit. Et vnde hoc? propter intellectus nostri imbecillitatē, qui modo suo res diuinas cognoscit, & non sicuti sunt. Tempus igitur quod secundum modum nostrum concipiendi res (quasi) mensurat; in numerum transcendentium ponimus.

## DE LOCO.

**N**ON est admodum difficile ostendere, non tantum creaturas corporeas in loco esse, verum etiā spirituales substantias tam finitas, quàm infinitas, licet diuerso modo & valdè æquiucè. Impossibile autem fore puto, aliquam loci descriptionem assignare, propter varios modos essendi IN: de quibus in 4. Phys. Arist. tractat, & propter oppositum modum essendi in loco, Deo & creaturæ conueniens; quum creatura sit in loco, vt continetur à loco. Deus autē vt locum continens, & conseruans. Sed fat erit cognoscere corpora esse in loco per se, vel dimensuraliter, circumscriptiuè, occupatiuè, & repletiuè; quæ omnia idem significant, partes quæ eorum integrantes, & accidentia, per accidens: partes autem essentielles dum sunt, & potentia tantum sunt partes, dicuntur esse per se in loco. Et hoc dicitur ob animam intellectiuam partem hominis essentialem, quæ cum è corpore migrat, atque tantum potentialis pars efficitur, tunc in loco est, & eo modo quo Angeli, qui sunt in loco, definitiuè. Et esse in loco tali pacto est esse in loco, & non occupare locum, & in vno nunc, quod non in alio, nisi alter diuina virtus dispensaret: nec locus semper comparatione ad Angelum pro superficie sumitur, cum & in puncto possit definitiuè existere. Deus verò immensiuè in omni loco est, atque omnem locum & locata conseruat. Sacratissimum autem Christi saluatoris nostri corpus est in hostia sacramentaliter, & sic habes diuersos modos essendi in loco, conuenientes existentibus vel subsistentibus. Ea verò quæ tantum esse essentia vel cognitum habent, propriè non sunt in loco: possunt tamen dici in loco, pro vt in anima conseruantur, si sunt species intelligibiles, actus intelligendi vel habitus: si verò vniuersalia intellectus operationem actu determinantia, dicas ea esse in intellectu obiectiuè, at in concauo orbis Luna ob eorum instabilitatem tanquam in loco, vbi & stultorum cogitationes quiescunt. Hæc sunt quæ de Categorijs, transcendentissimis proponere volumus,

*Quare locus  
describi non  
possit.*

*Corpora quo-  
modo sint in  
loco.*

*Angeli sunt  
in loco defi-  
nitiuè.*

*Deus quo-  
modo sit in  
loco.*

*Christi cor-  
pus quomodo  
sit in loco.*

*Ea quæ ha-  
bent esse essen-  
tia tantum,  
quomodo sint  
in loco.*



voluimus, ut aptior studiosus fieret in applicatione cuiuscunq; ad quodcunque: quæ si optimè contemplabitur, non exiguam utilitatem consequetur.

De entibus rationis transcendentibus non dedimus exempla, qualiter eis ex nouem Categoriæ conueniant, ut vitaremus prolixitatem, suo tamen modo quantitas perfectionis eis conuenit, quatenus vnum alio est perfectius, quod dignosci poterit ex perfectione maiori fundamenti vnius, per comparationem ad fundamentum alterius. Qualitatem pariter tam propriam quam appropriatam, in entibus rationis reperies, quam ob tenuissimam eorum entitatem nisi maxima cum difficultate cognoscere possumus, tamen ea non carent. Si enim distinctionem rationis contempleris & identitatem, certum est diuersas qualitates habere proprias, quoniã in distinctione est aptitudo ad distinguere, & in identitate ad identificare. Sed appropriata qualitas in istis reperitur, quatenus rationis identitas ratione sui fundamenti distinctioni rationali hoc tribuit, ut possit intellectus operationem terminare. De Relatione nullus dubitabit, an entibus rationalibus transcendentibus conueniat? quasi duo entia rationis, vel duæ secundæ intentiones accipiantur, in eis potest fundari distinctio, quæ nihil aliud est quam relatio. Si etiam secundam intentionem considero, ut ad fundamentum refertur, in quo fundatur, vel ad intellectum à quo causatur & cognoscitur, clarissimè patet ipsam referri. Actio neque rationalibus entibus repugnat, ut actum intellectus terminant: nec etiam passio, in quantum possunt esse fundamenta secundarum intentionum. Situs verò istorum entium est eorum ordo, quicumque sit ille. Habitus autem nomen consequuntur, ut secundum proprias passiones operantur. Tempore quoque mensurantur, prout intellectio illa, qua intelligantur, respicit tempus continuum vel discretum. In loco demum esse dicuntur, quia ab intellectu conseruantur. Quibus ostensis satis veram hanc nostram sententiam credimus. Nec Aristotelis prædicamenta sunt omittenda, quum limitatis rebus & in genere constitutis appositè possint attribui. De quibus in arte breui verba sumus facturi, cum de nono subiecto erit sermo, sub quo Aristot. prædicamenta accidentium continentur.

*Ostenditur  
hæc omnia  
prædicamenta  
conuenire  
entibus ra-  
tionis.*

*Quare Arist.  
prædicamenta  
non sunt  
omittenda.*

## DE FORMIS.

VALDÈ accommodatè Lullus hæc, quæ immediatè sumus explicaturi, nominat formas, quoniam ad instar formarum, ea varijs modis exornant, quæ sub vna quaque arbore continentur. Et nisi essent istæ formæ, quas omnes fere Lulli

*Quare forma  
dicatur. Nul-*



*Lullus Lullista  
de his loquun-  
zum est.*

*Necessitas  
formarum.*

*Quare Au-  
tor formas  
centum non  
explicit.*

*Vbi de alijs  
formis tra-  
ctabitur.*

discipuli, ne quidem explicant, sed nec (quasi) nominant; ce-  
tè tam singulare artificium, non nisi summo mentis acumine  
excogitatum, & mirum in modum necessarium, penè rueret.  
Ab istis etenim radices arborum suos habent humores, quos  
per spirituales quosdam canales insensibiliter ad omnes arbo-  
rum partes demandant. Quomodo quæso essentia arboris,  
quam per bonitatem interpretamur, eiusdemque perfectio,  
quam sub magnitudinis nomine intelligimus, ac existentia,  
cui Duratio conuenire debet, essent vnæ, simplices vel compo-  
sitæ, operatiuæ & productiuæ, nisi hoc esset à formis, quibus ad  
esse tale determinantur? Harum igitur formarum cognitio-  
nem necessariam esse arbitramur, vt melius in tertia parte hu-  
ius operis apparebit. De formis igitur cum sit tractandum, de  
quibus Lullus in arbore elementali agit, monitos esse volui-  
mus studiosos: nos eas tantum formas declarasse, quæ omni-  
bus entibus conuenire possunt: nec inconsultò id obseruauim-  
us, ne ea, quæ sua natura sunt transcendentissima, fierent mi-  
nus generalia; quod factum fuisset, si arbori alicui tanquam  
propria attribuissemus. De alijs verò, quæ numerum centesimum  
compleunt, in principio secundæ partis principalis pertractabi-  
tur. Hoc tantum vnum, nunc est obseruandum, vt cum sine  
formæ istæ transcendentissimæ, quibuscunque arborum parti-  
bus applicentur, & modo tali, ne vna aliam destruat, vt in quar-  
ta parte huius primæ partis fufius manifestabitur.

## I. DE VNITATE.

*Vnitas quid.*

*Quare vni-  
tas prima  
omnium po-  
natur.*

*Excluditur  
quædam vni-  
tates.*

*De Vnitate  
transcendentis.*

**I**NTER omnes formas à Lullo enumeratas Vnitas est prior,  
omnibus, & quibuscunque entibus non repugnans, quæ ratio  
dicitur, qua aliqua est vnum; & hæc forma est diffusa per  
radices, truncum, ramos & reliquas cuiuscunque arboris partes.  
Nec imagineris in capite omnium formarum casu hanc Lul-  
lum posuisse, sed optima contemplatione ductum; quia Vni-  
tas est radix origo & fons omnium, vt in libro primo Pyman-  
di, Mercurius Trismegistus ait: hinc est quod Parmenides  
Eleata Xenophanis auditor, vnum esse principium rerum omnium  
statuit. Et ne ignores de qua Vnitate hic loquamur, dicimus  
non oportere intelligere, neque de vnitate cumuli vel aggrega-  
tionis: neque de vnitate per se, quæ inter partes componentes  
reperitur: nec de vnitate per accidens; nec etiam de vnitate  
generis generalissimi, subalterni, speciei specialissimæ & nu-  
merali, quia hæc omnes vnitates limitatis solum competunt, ac  
semper imperfectionem habent annexam: sed intelligimus de  
Vnitate transcendentis, qua vnitate illa sunt talia, de quibus  
ipsum



ipsum ens prædicatur : & hæc vnitas Deo quoque conuenit, *hic loquitur.*  
 sub ea ratione qua substantia , spiritus & ens est : non tamen *Nota optimè*  
 sub Deitatis ratione , quia sub tali conceptu propria vnitate *de Dei vni-*  
 gaudet : quæ nominari potest identitatis vnitas , quia per ipsam *tate.*  
 attributa omnia , nec non & proprietates omnes in diuinam  
 transeunt essentiam.

## 2. DE PLURALITATE.

EX his quæ dicta sunt de vnitate facile erit diiudicare de ipsa  
 pluralitate : vnum tantum id obseruare præcipimus, quod *Obserua.*  
 pluralitas transcendens in radicibus & partibus arborum est se-  
 minata , in quantum est sui ipsius plena, scilicet, cum proxima  
 potentia ad actum sibi conuenientem , cum actu & suo corre-  
 latiuo : quæ nominantur plurificatiuum , plurificare & plurifi-  
 cabile. Quot enumerauimus vnitatis modos, tot sunt plurali-  
 tatis. In Deo verò est pluralitas personarum, ac etiam attribu-  
 torum , quæ ex natura rei sunt distincta vt optimè deducunt *Quæ plurali-*  
 Scotistæ. *tas in Deo*  
*fit.*

## 3. DE SIMPLICITATE.

PROUT quælibet arbor inuisibilem substantiam à radici-  
 bus simplicibus recipit, simplex nominatur, & secundum  
 se totam ac quamlibet sui partem : nec loqui intendimus  
 de ea simplicitate, quæ opponitur pluralitati, quia talem plura-  
 litatem hic immediatè supra concessimus : sed de illa quæ non *De qua sim-*  
 patitur compositionem ex aliquo potenciali & actuali : aliter *plicitate hic*  
 forma hæc arbori diuinali non conueniret, quæ nullam prorsus *loquatur.*  
 habet compositionem. Ex quo sequitur, quòd compositio,  
 quæ plurium tantum positionem notat , potest inter formas  
 hæc locum habere. In alijs verò arboribus , quæ pro creatis  
 rebus sunt constitutæ , compositio ex actu & potentia etiam  
 reperitur.

## 4. DE FORMA.

FORMA non vt perficiens, sed vt in esse rem tantum consti-  
 tuit, in quacunque arbore potest inueniri, quia nec diuinæ  
 essentia repugnat, quæ cum distinctis proprietatibus relatiuis,  
 personas distinctas constituit. Materiam autem omnino remo-  
 uemus, quia in arbore diuinali inueniri non potest, licet Hen-  
 rico non videatur inconueniens, Essentiam diuinam esse  
 quasi materiam in diuinis productionibus, vt sub-  
 tilissimus Scotus recitat in secunda quæst.,  
 dist. 5. primi sententiarum.

*Forma omnium*  
*arborum,*  
*conueniens*  
*quæ sit.*  
*Materia in*  
*diuinis re-*  
*monetur.*  
*Subtilissimus*  
*Scotus.*



## 5. DE ABSTRACTO.

*Radices sunt abstracta quaedam.*

**I**N qualibet arbore sunt abstracta, scil. radices: Verum cum ipse substantiam suam tribuant quibuslibet arboris partibus, atque naturam illarum induant: nec amplius bonitas vel magnitudo simpliciter dicuntur, sed cum additione. Ut sunt in trunco, nominantur bonitas vel magnitudo trunci, & idem dicatur ut sunt in branchis, ramis, folijs, floribus & fructibus.

## 6. DE CONCRETO.

*Cognoscuntur concreta in omnibus arboribus per actum exercitum.*

**Q**UIA ut dictum est supra, dum de pluralitate agebamus, unaquæque radix in quamcunque arboris partem descendit, ut est in proxima potentia ad actum, cum actu & suo correlatiuo, quorum primum & ultimum in concreto sumuntur. s. pro IVO & BILE, ideo talia concreta per omnes arbores sunt dispersa ac seminata, quod cognoscitur, dum ad exercitum actum venimus, dicendo: Truncus est bonus, magnus &c: Branchæ sunt bonæ, magnæ &c: Fructus sunt boni, magni &c: sic de medijs arboris partibus discurrendo.

## 7. DE GENERATIONE.

*Qualiter generatio consideretur. Suppositis tantum productio consent.*  
*Nota de divina essentia.*

**G**ENERATIO seiuncta à mutatione hic consideratur, quæ radicibus omnibus attribuitur, ut vnà conueniant ad vnius, vel plurium productionem: eo modo, quo producere possunt, & hoc placuit dicere, quia tantum suppositis productio propriè conuenit: formæ autem vel quæ ad modum formarum se habeat, in ratione solum principij formalis; ob hæc solam causam Theologi non affirmare audent, diuinam essentiam generare vel spirare, neque generari vel spirari, & quæ sint rationes, vide apud Scotum in 1. quæst. 5. dist. primi.

## 8. DE PLENITVDINE.

*Forma hæc à pluralitate distinguitur.*

**P**LENITUDO, ut inquit Lullus, est generale principium in arbore quacunque seminatum, & deriuatur à radicibus, non tantum ut radix vna est seipsa plena, sed etiam ut similitudo aliarum radicū participat; & de his plenitudinibus tota arbor est plena. Nec forma hæc est eadem cum pluralitate, quia essentielles partes pluralitas tantū respicit vel integrantes: hæc verò & illas, & aliarū omnium similitudinem, vel aliquarum.

## 9. DE TOTALITATE.

**T**OTALITAS hic consideratur, in quantum arbores totam suam naturam à generali omnium radicum influxu consequuntur.



quuntur, quam quidem totalitatem trunci branchis, branchæ ramis, & rami folijs, floribus & fructibus communicant. Huius rei exemplum in qualibet arbore de facili potest inueniri: de arbore tamen diuinali exemplificabimus, cui minus totalitas conuenire videtur. Radices in hac arbore sunt bonitas, magnitudo &c. contrarietate excepta, & aliæ quæ imperfectionem arguunt, quæ in totam trunci naturam Dei scil. substantiam influunt, prout sunt sub infinita ratione ac perfectione considerata: non quod radices sint ipso trunco priores, ac aliquid in ratione principij in Dei essentiam influant, cum radices istæ, quæ in Deo sunt perfectiones, à diuina pullulent essentia: sed quia intellectus noster cognoscit Deum & creaturam conuenire in transcendentibus, ratione bonitatis, magnitudinis, durationis, potestatis, & alijs transcendentibus, quæ conuenientia vel conformitas non potest esse ad aliquod inferius, quia ad inferiora est differentia; ergo in aliquo superiori, & superius semper influentiam habet aliquam ad inferiora: si est superius in essendo, habet influentiam realem: si in prædicando, rationalem sc. per modum prædicandi. Truncus verò branchis suam totalitatem communicat, & branchæ ramis, per identitatem saltem. Ex dictis patet non esse considerationem de totalitate, vt est ratio, qua aliquid propriè totum dicatur, sed impropriè.

*Exemplum de totalitate pro arbore diuinali.*

*Radices in Diuinā arborem quomodo influant, vel non.*

*Superius in essendo & in prædicando.*

## IO. DE PARTIALITATE.

VALE à proposito nostro esset alienum, si de partialitate considerantes vel integram vel essentialem consideraremus, cum supremo enti omnino repugnent partes istæ. Impropriè igitur partialitas hic accipitur, prout, sub bonitate, magnitudine, duratione, & alijs radicibus, bonitas, magnitudo, & duratio Trunci, Brancharum & aliarum arboris partium continentur, quæ partes subiectiuæ possunt nominari. Illud verò à quibus istæ emanare dicuntur, vniuersales partes sunt, quæ totalem quandam radicem constituunt: de qua totalitate hic immediatè supra intelligimus.

*Impropriè accipitur partialitas.*

## II. DE INTERIORITATE.

CUM actus vniuscuiusque rei inter agendi potentiam ac terminum actionis mediet, atque sub ea ratione qua mutuo se respiciunt, relatiuum videlicet & correlatiuum vtriq; illorum sit intrinsecus, ideo talis actus interioritas dicitur; bonificare itaq; vel magnificare, siue respiciant bonificatiuum & bonificabile, magnificatiuum & magnificabile generale, siue proprium, videlicet Trunci, Brancharum aut aliarum arborum partium,

*Actus, interioritas dicitur.*



interiora sunt. Et interioritas in hoc proposito inter generales formas sedem occupat.

## 12. DE EXTERIORITATE.

*Exterioritas  
qualiter hic  
accipitur.*

**EX**TERIORITAS verò hoc in loco consideratur, quatenus aliquid est extra aliud per differentiam aliquam, quæ inter illa reperitur. Sic bonitas est extra magnitudinem & durationem, quia hæc respicit essentiam; magnitudo essentia perfectionem tantum: Duratio verò rei existentiam: sic arborum partes quædam extra reliquas sunt per differentiam, quæ inter illas consurgit. Quemadmodum verò ad particularia descendendo, per hanc formam cognoscuntur, quomodo varijs modis una res sit extra aliam, siue hoc sit realiter, sicut equus extra asinum; continens extra contentum: siue per intellectus operationem, veluti quando homo absque resiliantia consideratur; ita per interioritatem cognoscere possumus, qualiter aliquid in alio contineatur, siue sit potestatiuè, siue virtualiter, vel per identitatem, aut identicè, vel actu, aut per aliquem modorum essendi IN, siue per omnes octo modos simul, vel per infinitos alios modos; qui per varia definitionum genera possunt inuestigari. Has duas formas præcipue nota, quia non parui sunt momenti.

*Per interioritatem quid cognosci possit.*

## 13. DE STATIONE.

*Necessitas  
huius forme  
ac utilitas.*

**H**ÆC forma non minus est necessaria radicibus & partibus arboris cuiuslibet, quàm utilis cognitu. Necessaria quidem est, ut res perpetuo maneant. In cognoscendo verò est admodum utilis, quia per hanc cognoscimus bonitatem, magnitudinem, & cæteras radices, non tantum in se, verum etiam, ut in Truncis, Branchis & Fructibus arborum existunt, non amittere propriam rationem formalem & unitatem; si enim propriam naturam amitterent, ut seipsas partibus arborum communicant, non diceretur Truncus bonus à bonitate, & magnus à magnitudine, at magis talis à seipso, quod fieri nequit, quia nulla res à se ipsa habet esse.

## 14. 15. 16. DE LONGITUDINE, LATITUDINE, & Profunditate.

*Metaphorica  
consideratio.*

**N**ON hic considerantur tres istæ formæ, eo modo quo à Mathematicis, sed metaphoricè & similitudinariè. Inter radices est longitudo, quatenus una est in alia, ut, Bonitas in magnitudine, hæc in duratione, duratio in potestate, potestas in cognitione,



gnitione, & cognitio in appetitu, sic procedendo rectè vsque ad ultimam radicem; quam longitudinem partes quoque arborum retinent, quatenus bonitas talium partium est in magnitudine, & hæc in tertia radice, & tertia in quarta vsque ad finem. Latitudo verò inde causatur, vt tertia radix primæ aggregatur, quarta secundæ, quinta tertiæ, sexta quartæ sic aggregando: quæ latitudo, si ad omnes est generalis, non est ad aliquam arboris alicuius partem applicata: sed si particularis, tunc vel trunco, vel branchis, vel alijs arborum partibus est annexa. Profunditas autem consurgit, prout radix quælibet plena est sui ipsius, atque omnes simul ad vnius profunditatis constitutionem concurrunt; si in generali, & generalem; si in particulari, & particularem constituunt profunditatem.

*Longitudo quid.*

*Latitudo quid.*

*Profunditas quid.*

17. DE POTENTIA.

POTENTIAM duplicem statuit Lullus: vnum, quæ est ad actum dispositio, quam Arist. in 9. Metaph. vocat potentiam passiuam; alteram, quæ actiua dicitur. De priori non est principalis nostra intentio, cum arbori diuinali nequam conuenire possit: per accidens tamen possumus hic eam considerare, quatenus arboribus creatarum rerum est necessaria: quæ potentia est in radicibus, vt trunci arborum immediatè deducantur: in truncis verò brancharum potentia existit: & sic de qualibet arborum parte debet intelligi, prout vna est in alia. Potentia verò actiua est in radicibus, in quantum suum esse conferunt trunco & omnia arborum partibus, quæ in bonitate dicitur bonificatiuitas: in magnitudine magnificatiuitas, & suo modo est dicendum de alijs radicibus.

*Duplex potentia.*

*Potentia actiua in radicibus.*

18. DE OBIECTO.

DUPLEX obiectum assignatur, vnum, quod intra esse dicitur; alterum quod extra: primum illud est, quod actiua potentia respicit tanquam correlatiuum essentialiter, vt bonificatiuitas, quæ bonificabile essentialiter respicit. Obiectum verò extra dicitur, quod actiua potentia nō respicit tanquam correlatiuum proprium, sed extraneum, vt magnitudo, duratio &c. quæ à potentia actiua bonitatis tantum extrinsicè aspiciuntur. Verum tamen est quod obiectum extra, fit obiectum ad intra, quando virtute potentie actiue illud in propriam sui naturam conuertit agens, vt in motu generationis & augmenti manifestè apparet.

*Duplex obiectum, intra videlicet & extra.*

*Obiectum extra fit intra.*



## 19. DE ACTU.

*Actus duplex.*

**A**CTUS duplici ratione consideratur: primo modo pro operatione quæ à potentia actiua procedit, qui in omnibus arboribus locum habet: sed alio modo pro actu, quo res prius in potentia existens, fit in actu, qui entibus illis conuenit tantum, quæ mutationi alicui subiacent. Per actum priorem radicum influxus, aliarumque arborum partium cogescuntur: at per secundum formam rei vel essentiam in creatis intelligimus.

## 20. DE PRIORITATE.

*Prioritas & posterioritas, sunt præcipua.*

*Nota usque in finem.*

*Quinq; modi prioritas: Prius.*

*Deus est mensura extrinseca substantiarum. Lucifer vero intrinseca.*

*Secundus. Arist.*

*Tertius.*

*Quartus habet quinque gradus.*

**Q**UIA inter omnes formas Prioritas & Posterioritas sunt præcipuæ, cum ab ipsis totus rerum ordo pendeat, maiori egent inquisitione, ideo plures modos prioritatis assignabimus, ut probè cognoscant studiosi, quomodo in applicatione huius forme se debeant gubernare; ne impossibilia Deo aliquando attribuant, & quæ diuinis conueniunt, repugnare opinentur. Quinq; modos prioritatis Scotistæ in suis formalitatibus assignant, quorum prior est prioritas perfectionis, & sic in quolibet genere entium datur vnum primum, quod rationem mensuræ habet, intelligendo de mensura perfectionis. Ut in genere substantiæ pro mensura extrinseca Deus assignatur: sed pro intrinseca conuenienter assignare possemus Luciferum, quo ad sua naturalia, quia in perfectione, quamcunque creaturam excedit; de quo verificatur illud Augustini dictum: Duo fecisti Domine, vnum prope te & aliud prope nihil; & hic prioritatis modus in diuinis nõ datur, comparando diuinum ad diuinum. Secundus modus est generationis proprietates, de qua prioritate Aristot. in 9 Metaph. inquit. Priora generatione sunt posteriora perfectione: dummodo (sic à quibusdam Scotistis glossatur) prius extrinsecè ad esse posterioris concurrat, & vterque illorum sit in eodem genere. Neque modus iste in diuinis reperitur, quia ibi prius & posterius in perfectione esse nequeunt. Tertius modus est Durationis prioritas, quæ Duratio triplex est, scil. Æternitas, Æuuum & tempus, de qua supra egimus. Quartus modus est naturæ, cuius prioritatis quinque sunt gradus. Primus ist, qui in vna fundatur natura, atque ad aliam terminatur; ita, quod inter naturas illas sit ordo producentis ad productum. Secundus est inter illa, quorum vnum est (quasi) originatū ab alio, ut de propria passione dicere possumus, quæ à suo subiecto (quasi) originatur. Et secundum hos duos gradus, prioritas naturæ in diuinis nõ reperitur. Tertius prioritatis naturæ gradus in illis reperitur, quorum vnum ab alio non dependet, ut effectus vel mensuratum, vel conseruatum, vnum tamen aliud



aliud præsupponit; & hic prioritatis gradus inter intellectum & voluntatem inuenitur, quia voluntas in operando intellectu præsupponit. Quartus gradus inter ea haud dubie est, quæ sunt infinita, & vnum ab alio pullulat, & hic gradus inter Dei essentiam & attributa consistit: potest quoque esse inter eandem essentiam & relationes personales, licet non sint infinitæ formaliter. Quintus & vltimus est, quando inter aliqua duo, est tantum distinctio secundum proprietatem personalem, & vnum accipit totum suum esse ab alio, & hoc modo, Pater diuinus est prior Filio; hoc præsupposito, quod personæ diuinæ proprietatibus absolutis in esse personali constituentur, vt D. Bonauentura & Ioannes de Ripa sentiunt, quorum sententiam Theologorum omnium Princeps Scotus, & abstractionum Pater Franciscus Mayronus validissimis rationibus tuentur. Tres vltimi gradus prioritatis naturæ, Deo conueniunt, cum nullam importent imperfectionem. Quintus & vltimus prioritatis modus, originis prioritas nuncupatur, quæ in diuinis esse conceditur, & præcipue inter personam originantem & originatam; quamuis inter diuinam essentiam & personas quoque esse testetur D. Augustinus, vbi inquit: Si quis intuitiue videret essentiam, videret eam priorem origine filio. Alij sunt huius quinti modi gradus, imò & prioritatis modi, de quibus in postprædicamentis fit mentio, quos breuitatis causa omittimus. Sat nobis sit de modis prioritatis dixisse, quorum cognitione ingeniosus Lector poterit de facili cogoscere, qua prioritate radices in se, Ramos, Branchas, & reliquas arborum partes præcedant, & pars vna aliam, imò & quælibet radix quamlibet, siue in se considerata, siue vt in arbore quacunque & in qualibet arboris parte contenta, discurrendo per omnes modos. Proportionabiliter de posteritate intellige, de qua Lullus agit sub ratione duarum immediatè sequentium formarum.

*D. Bon. & Io. de Ripa, Scotus & May.*

*Quintus.*

*In lib. de triplici habitaculo.*

## DE SECUNDARIORITATE.

HÆc forma est in arboribus quibuslibet, quatenus radices prius truncum respiciunt, & truncus branchas quàm ramos; & vniuersaliter est ratio, qua vnum quodque prius respici propinquius quàm remotum in operando per modum efficientis; quamuis per modum finis aliter sit. Perfectius enim tali casu prius ab operante intelligitur, licet sit valde remotum, quàm minus perfectum, sed propinquum: & hoc modo prius radices fructus appetunt, quàm truncum, ramos vel branchas.

*Secundario-ritas quid?*



## 22. DE TERTIORITATE.

**H**ANC formam posuit Lullus, ut constituti naturam ostenderet, quod ex duobus ad minus resultat, quodque tertium hac de causa nominatur. Nec repugnat diuinis, cum ibi sine constituta diuina videlicet personae, qua essentia & proprietatibus relatiuis in esse personali constituuntur, licet proprie constitutum tertium aliquod non possit ibi dari, cum persona idem sit realiter & essentialiter quod essentia & proprietas relatiua. In creatis vero ubi constitutum est essentialiter, verè tertium quoddam debet appellari, quia realiter à partibus suis distinguitur. Ex radicum igitur vnione quarum aliqua per materiae modum se habent, & quaedam per modum formae, tertioritas resultat. Haec forma est vniuersalis ad omnes consimiles formas quae in qualibet arbore sunt seminatae: quae forma quoque resultare potest ex vnione partium essentialium radice cuiuscunque.

*Forma haec  
quae diuinis  
non repugnat.*

## 23. DE AVGMENTATIONE.

**H**IC augmentatio accipitur, ut radix vna ab aliis similitudinem recipit, & quanto magis recipit, tanto magis augetur, sic augetur bonitas, quando per magnitudinem fit magna, & per durationem durans: augetur quoque quoad operationem, quando bonificat alias radices. Et haec forma, sicuti & aliae, in omnium arborum partes, est seminata.

*Augmentatio  
quomodo  
accipitur.*

## 24. DE DISPOSITIONE.

**P**ER formam dispositionis res apte fiunt ad plura: ut patet de ferro, quod est ob sui duritiem dispositum, ut ex eo fiat malleus, & dispositio differt à potentia, quia dispositio est à natura: potentia vero agens extrinsecum respicit ultra naturam: differunt etiam, quia in aliqua re potest esse potentia, & non dispositio: ut in lapide est potentia ad esse sursum, non tamen dispositio vel aptitudo, quae idem sunt.

*Dispositio à  
potentia  
differt.*

## 25. DE PROPRIETATE.

**P**ROPRIETAS quae dispositionem supponit, duplex est scilicet propria & appropriata: Propria, ut bonificare bonitatis, & magnificare magnitudinis. Appropriata vero ut bonificare magnitudinis, quod à bonitate ei collatum est, & magnificare bonitatis.

*Proprietas  
duplex.*

DE



## 26. DE PROPORTIONE.

**P**ROPORTIO est ratio, qua plura in vno tertio conueniunt, *Proportio quæ tamen inter se sunt æqualia, nec intelligendum est de quidæ* inæqualitate, qua est quantitatis prædicamentalis proprium, sed transcendentissimè sumptæ. Vnde dicimus, inter bonitatē, magnitudinem & durationem esse proportionem, quia sicuti bonitas respicit essentiam, ita & magnitudo perfectionem essentia, & Duratio existentiam. Vel, vt clarius loquamur; quælibet concordantia vel conuenientia aliquorum ad vnum tertium, proportio est. Cuius proportionis effectus pulchritudo dici potest.

## 27. DE CONDITIO NE.

**C**ONDITIO ratio quædam est, per quam res conditionatæ sunt, sicut bonitas & magnitudo, quoniam sicuti bonitas suam similitudinem communicat: vt conditio seruetur; ita & magnitudo bonitati proprium esse largitur. Quæ conditio requirit in eo, cui aliquid communicatur, vt aliquid pariter retribuat, quodcumq; sit illud. Et ab his naturalibus conditionibus exeunt artificiales, quibus ementes & vendentes ac cæteri quotidie vtuntur.

*Conditio quidæ*

## 28. DE INTENTIONE.

**I**NTENTIO ratio est, per quam res operantur ob finem aliquā. *Intentio quidæ* Ignis dando aëri suam caliditatem, hac intentione ducitur, vt bonus cognoscatur, quia se ipsum diffundit. Volendo aurem destruere aquam, quæ inter aërem & terram mediatur, hoc idè facit, vt maiorem cum terra habeat concordantiam ad recipiendum ipsius siccitatem, quod non satis commodè fieri potest, propter aquæ frigiditatem, impediētem. *Intentio duplex.* Quæ intentio duplex est; prima .s. & secunda. Prima est finis vltimus rei: Secunda verò, est finis sub fine. Et ex naturalibus intentionibus, artificiales oriuntur.

## 29. DE ORDINATIONE.

**P**ER ordinationem res sunt inconfusæ & distinctæ, quæ ordi- *Per ordina-* natio non tantum requiritur inter arborum partes, sed etiā *tionem quidæ* inter radices, & non solum in essendo, sed in operando quoque. *fiat.* Ex naturalibus ordinationibus homines acceperunt artificiales, quæ mores, operationes & talia ordinant. Plures sunt modi ordinis, qui sub nomine prioritatis supra sunt explicati.



## 30. DE OPERATIONE.

**E**NTIA cum non sint ociosa, naturales suas habent operationes, quibus varios producunt effectus. Nec alicui enti denegatur operatio aliqua, vel realis vel intentionalis.

## 31. DE INFLUENTIA.

**P**ER influentiam res similitudinem suam rebus alijs communicant. Unde radices in Truncum influunt, & Truncus in Branchas: sic inducendo vsque ad individua inclusivè, quæ in alia influunt, vt directe scripta, vel indirecte conferunt,

## 32. DE REFLUENTIA.

**H**Æc forma à Conditione differt. Per conditionem, vt diximus, aliquid suo communicanti, ille cui fit communicatio, reddit: siue illud sit idem cum eo, quod communicans tradidit siue non: sed Refluentia respicit in correlativum suum relativum, secundum eam formam, quam correlativum à relativo accipit. Cuius rei exemplum tradere non est opus, cum hanc Refluentiam quotidie in his perspiciamus, qui malum pro malo reddunt. bonumque pro bono.

*Differentia  
huius formæ  
à conditione.  
Refluentia  
quid respiciat.*

## 33. DE PRODUCTIONE.

**Q**VIA per Operationem non requiritur, vt aliquod tertium resultet, vt patet de immanente, sed in productione requiritur, ideò inter se duæ istæ formæ sunt distinctæ, tanquam magis & minus communes. Differt quod hæc forma à generatione, de qua diximus, quia est opus naturæ. Productio autem est latior. Dicimus enim Spiritum sanctum produci, non tamen generari. Differentiam vnius formæ ab alia admodum notare oportet, nec vnà confundantur, & earum natura ignoretur. Ponit Ray: Lull: duas formas .s. Originem & Exitum, quæ cū possint de facili confusionem causare maximam in intellectu cuiuscunq; ob convenientiam quam habent cum his videlicet Generatione, Augmentatione, Conditione, Operatione, Influentia, Refluentia, Productione & alijs, ideò eas cōmittimus. Sed si subtilis voluerit has quoque cognoscere, hæc pauca, sibi sufficiant. Origo ponitur pro operatione illa, qua subiectum quodlibet propriam passionem producit Exitus vero activi accommodatur, qui ab activa potentia est, non comparādo ipsam ad terminum, quia tunc esset vel generatio, vel productio, vel aliqua alia operatio.

*Differentia in  
re: productio  
nem & generatio-  
nem.*

*De origine &  
exitu.*

*Origo quid?  
Exitus quid?*



## 34. DE SEPARABILITATE.

**I**CEt videatur, quod ista forma sit eadem cum exterioritate, valde tamen differunt quia exterioritas est inter illa, quae aliquo modo inter se sunt distincta, separabilia s. verò tantum in his reperitur, quae secundum existentiam sunt distincta, ut, Pater, Filius, Arbor & Fructus, qui non est in arbore. Et quia sic hanc formam considerando non omnibus entibus potest conuenire, quia tali distinctione entia omnia non sunt distincta, ideo possumus dicere, ea esse separata, quorum vnum cognitum est, aliud non. In homine quidem est bonitas & magnitudo, quem si considerauero vt bonus tantum, tunc in eo bonitas & magnitudo erunt separata.

*Differētiam nota.*

*Hac forma quomodo omnibus entibus conuenire possit.*

## 35. DE INSEPARABILITATE.

**P**ER ea, quae de superiori immediata forma dicta sunt, huius satis erit nota essentia, oppositum meditando. Et velati eam duplici modo considerauerimus, realiter scilicet & rationaliter: ita & hanc eodem modo contemplari debemus. Istae duae formae in homine sunt idem realiter scilicet Bonitas & Magnitudo, quia non habent propriam existentiam, nec habere possunt. Bonitas etiam à seipsa est inseparabilis ratione, si actu intellectus simplici consideretur; si actu verò complexo intelligatur, tunc potest à seipsa separari.

## 36. DE POSSIBILITATE.

**V**T haec forma omnibus conuenire possit, ac etiam Deo, non oportet possibilitatem intelligere, vt conuertitur cum contingentia, sed vt impossibilitati opponitur, & in quantum non arguit repugnantiam ad esse. Sic filius Dei & Spiritus sanctus sunt possibili, in quantum filio de patre esse, non repugnat, & Spiritui sancto à Patre & Filio.

*Quomodo possibilitas accipitur.*

## 37. DE IMPOSSIBILITATE.

**I**MPOSSIBILITAS cum possibilitati opponatur, oppositam habet naturam, quae in nullo ente inuenitur, cum naturam destruat, praeterquam in chymica, quam imaginatio nostra ex impossibilitatibus fabricat. Haec omnia sunt impossibilia, videlicet Bonitas non est magna: Bonitas non est in Deo: Bonitas non est in creatura. Et per omnes arbores est negatiue dispersa.



## 38. DE SIMILITVDINE.

**S**ECUNDUM Peripateticorum sententiam, propriè similitudo in qualitate fundatur, non est tamen inconueniens, vt largè similitudinem accipiendo & in quantitate ac substantia sit; quia & identitas vel diuersitas, quæ in substantia propriè fundatur, inter entia quæcunque inuenitur, teste Aristotele qui inquit: Omne ens omni-enti comparatum, est idem vel diuersum. Quatenus igitur bonitas suam similitudinem magnitudini largitur, inter se similes eæ duæ formæ sunt. Differentia tantum specie, in genere conuenientia sunt ac similia, & quæ numero differunt, in specie assimilantur.

*Lib. 10. metaph. tex. 12.*

## 39. DE DISSIMILITVDINE.

**R**ES omnes, quæ distinctas habent naturas, inter se dissimiles nuncupantur. Et hæc dissimilitudo attenditur penes quamcunque differentiam, quemadmodum & similitudo penes omnem conuenientiam vel identitatem.

## 40. DE NATVRA.

**N**ATURA in omni arbore est necessaria, propter varias generationes vel productiones in illis repertas, quæ fieri minime possunt absq; naturæ beneficio, quia principium est alicuius formæ absolutæ.

## 41. DE PVNCTVALITATE.

**N**ON minus methaphoricè hoc in loco acceptatur punctualitas, quàm longitudo, latitudo & profunditas, de quibus supra dictum est. Hinc est, quod punctualitas est actus, sub ratione indiuisibilitatis consideratus, qui mediat inter relatiuum aliquod & correlatiuum suum, veluti bonificans, quod mediate videmus inter bonificantem & bonificabile.

## 42. DE INSTRVMENTALITATE.

**Q**VAMVIS hæc forma in vnaquaq; arbore locum habeat peculiarem, vt videmus: tamen nec sibi repugnat, vt etiam aliis arborum partibus se comunice, quia nihil aliud est, quàm potentia sub actu operandi accepta; quæ ad instar instrumenti artificialis propinquior est suo effectui, qualibet re ad effectum ordinata. Cuius rei si exemplum desideras, sume potentiam visiuam sub actu suo, quæ instrumentum appellatur visionis.



## DE NECESSITATE.

43.

**N**on esset hæc forma omnibus in rebus universalis, si pro conditionata necessitate vel simplici acciperetur, quia primo modo res quædam creatæ sunt necessariæ; secundo verò modo Deus solum. Necessitas igitur hoc in loco consideratur, quatenus res aliqua sine alia esse nequit. Sic animal est homini necessarium, correlativum suo relativo, calor igni, aëri humiditas, aquæ frigiditas, terræ siccitas, bonitati magnitudo & alia principia. Sic Deo est necessarium generare & spirare. Nec dicimus eodem modo divinis & creatis necessitatē huiusmodi convenire, quia in creatis aliquod unum esse absq; reliquo nequit, ob imperfectionem. In divinis autem, si Deus absque generare & spirare non potest verè intelligi, non est quod generare sit de Dei essentia, quemadmodum animal est de hominis essentia, & calor ignis vel essentialis. Sed quia Deus est summæ perfectionis; non tantum sub ea ratione formali, qua essentia est vel Deitas, sed etiam quatenus est intelligens & volens, sub qua ratione dicitur generare & spirare, non quod intelligere tantum Dei sit generare, & velle spirare, ut quidam asserunt, sed quoniam rationales actus necessariò essentiales præsupponunt.

*Necessitas  
qualiter sit  
accipienda.*

44.

## DE PERFECTIO NE.

**S**vo modo unaquæq; res perfecta existit, & hoc merito generalis perfectionis, à qua, perfectiones omnes descendunt. Quæ perfectio vel essentialis potest esse, sicuti hominis essentia in tanta perfectione constituta, vel hanc insequens, veluti sunt perfectiones omnium accidentium. In creatis utraque reperitur. In divinis autem prior solum, quia secundæ perfectiones imperfectionem habent annexam. De his multa habes in capitibus de Quantitate & Qualitate.

45.

## DE VITA.

**N**on est ignotum, & rudibus hominibus, vitam omnibus entibus non inesse, quia huius rei experientia est rerum magistra, nisi aliqui in eorum caderent sententiam, qui existimarunt Mundum animal esse maximum, cuius anima in quamlibet mundi partem vitam immitit, ad instar animalis, quod est mundi pars: nec hoc tamē sufficeret, quia licet existentibus esset vita communicata, non tamen his quæ tantum esse essentiæ habēt, & quæ nullam mundi partē occupant, quemadmodū sunt Ideæ vel universalis, quib; volumus has omnes formas cōvenire. Aliā igitur vitā statuerē necessariū est, q̄ vocam;

*Vita formæ  
in omnibus  
non inest.*

*Vita formæ*



*entibus con-  
ueniens.*

virtutem, sub actu consideratam, qua res, multas operationes producere potest, veluti virtus illa, qua ignis calefacit & comburit. Et hæc forma differt à perfectione, quia perfectio non respicit operationem. Differt quoque à potentia actiua, quia hæc ab illa supponitur, nec est idem cum Virtute de qua supra loquutum est, quia ibi virtus in esse quieto consideratur, hic autem sub actu. Qua vita viuunt omnia, & nil reperitur, quod non habeat virtutem operandi aliquid.

#### 46. DE ESSENTIA.

**E**SSENTIA rebus omnibus tribuit esse, quæ in esse abstracto considerata, naturam rei cum sua perfectione significat. Natura hominis in tanta perfectione considerata, quia quod alterius cuiuscunque substantiæ corporeæ naturam perfectione superat, essentia vocatur.

#### 47. DE ENTE.

**E**NS concretum vel connotatiuum essentiæ dicitur, quod præter essentiam, quam principaliter significat, connotat aliquid se habens vt determinans, nec in propria forma potest exemplum dari; quia tale determinans propter suam maximam vniuersalitatem proprio nomine caret. Et hoc est omnibus entibus commune, sicuti essentia.

### DE QUESTIONIBVS VEL Regulis.

**H**UIC principalis primæ partis, quarta pars de Questionibus siue Regulis tractat, quibus totum Lullianum artificium optime regulatur, atque per harum optimam noticiam sic hominis intellectus dirigitur ac illuminatur, quod absque vlla difficultate ad omnia quæ sita respondere valet, ac ignoti cuiuscunque (præmissa ad arbores reductione) in definitiuum conceptum deuenire potest; quia definiendi ratio ac modus ab his sumitur, vt statim apparebit dum de iis tractatū erit. Quoniam verò huiusmodi regulæ non semper coniunguntur propositionibus, de quibus dubitare contingat, sed quandoque, imò frequenter, necessariis ac natura sua manifestissimis, ideo germanam quæstionum significationem sibi non vendicant. Nec de complexis semper quærunt (de quibus propriè mouentur quæstiones) sed etiam de incomplexis, vt manifestum est discurrenti per omnia principia vel radices, secundum omnia quæstionum genera eorumque species. Fatendum igitur

*Quare quæ-  
stiones pro-  
priè vocari  
non possunt.*



igitur est, easdem, quæstionis nomen sortiri, quatenus quæstionibus sunt signa. Regulæ quoque dicuntur, quia hominis intellectum dirigunt, ut appositè definire vel respondere possit, sicuti supra dictum est. Optimum ordinem harum regularum inter se possemus de facili ostendere, cuius rei cognitio cum non sit admodum necessaria, breuitatis gratia omittimus. Dicere tamen non recusamus hæc quæstiones esse admodum generales, quod nec dari genus aliquod quæstionis aut inueniri potest, quin sub his contineatur; imò ab latissimam illarum naturam vna aliis omnibus communis est, quemadmodum de radicibus supra diximus; quod Lulli artificium generale hoc exoptulat.

*Quare Regula dicantur.*

*Nota.*

*DE QUÆSTIONE VTRUM.*

PER hanc quæstionem de rei esse quæritur, secundum omnes temporis differentias; & regulatur per possibilitatem. Eius species tres sunt, teste Lullo, in principio quartæ partis principalis Artis suæ generalis, videlicet dubitatio, Affirmatio & Negatio; quarum prior respectu eorum est, quæ ad vtrumlibet dicuntur, vel quæ contingentia sunt. Secunda verò de his quærit, quæ necessaria cognoscantur. Tertia autem est de impossibilibus: ad quas respondendum est per affirmationem vel negationem, aut per possibilitatem, contingentiam, impossibilitatem vel necessitatem, sicuti magis expediens exit: id tamen observando, ne per responsionem principia destruantur, id eligendo quod ratio non dicat. Si enim fiat quæstio, Num Antichristus sit creandus? statim per principia vel radices tam absolutas quam respectivas discurrere necessarium est, & id concedere quod magis Bonitati, Magnitudini, Differentiæ, Concordantiæ & alijs radicibus consonat. Poteris quoque arbores vel subiecta contemplari, quibus si non repugnabit, sub se id continere de quo mota est quæstio, tunc eligendum erit. Quia ergo non inconuenit Bonitati ac alijs radicibus ad hominem constituendum, ut vniantur simul, ideo Antichristus homo, creandus est. Diuinæ quoque Bonitati, Magnitudini & potestati non aduersatur Antichristum creare, ut satis patere potest. Neque Arbori humanali repugnat hunc fructum producere, cum natura sua bonus sit, licet praua voluntate scelestissimus: ob id aliquando erit. Si verò de Chimæra quærat Num sic creanda? intellectus statim affirmabit nequaquam hoc posse fieri, quia nec aliqua reperitur arbor, cui similem fructum producere conueniat; nec radices vnà conuenire posse, ut ex illis constituatur, pugnantes inter se partes habens varias quæ in specie; nec minus per regulas vel quæstiones discurrendo, aliqua

*Hæc quæstio tres habet species.*

*Nota.*



*Quare per  
hanc regulam,  
aliquid defini-  
ri nō possit.*

possunt inueniri, per quæ Chimææ definitio ostendatur. Per hanc regulam definitio indagari non potest, cum de rei esse quærat, quod in definitione quacunque supponitur.

### DE QVAESTIONE QUID.

QVÆSTIO hæc, quæ per Quidditatem, Essentiam, Naturam ac Realitatem regulatur, quatuor habet species principales, sub quibus plures aliæ contineri possunt. Prima species est de definitione & definito, quomodocunque sumatur definitio, siue sit quidditatiua & per intrinseca, siue quietatiua & per extrinseca inuenta, dummodo cum suo definito conuertatur: & huiusmodi definitiones poteris multiplicare, recurrendo ad Topicam Aristot. Secundam hanc primam speciem sumuntur definitiones radicum, dum dicimus, Bonitas est ratio qua Magnitudo, Duratio ac cæteræ radices bonæ sunt, vel Bonitas est, cui competit bonificare: suo modo de quibuscunque entibus dicendum est. Nec definitiones istæ ineptæ sunt, vt inepti quidam opinantur, quia multa sunt, quæ genere & differentia carent, ex quibus definitio conflatur; veluti sunt transcendentia omnia ac generalissima genera, quæ si definire uolueris, hac meliorem nunquam inuenies, quam Lullus docet. Secunda species est, quando de re aliqua quæritur, quid habeat in se naturaliter ac essentialiter: & respondendum est per ea, sine quibus res esse nō potest, vt puta per LVVM, ARE, & BILE, & sic Bonitas & aliæ radices habent plura coessentialia vel conaturalia. Et modus iste definiendi est valde tutus, cum per intima rei assignetur, valetq; ad construendas demonstrationes ac rationes necessarias. Intellige tamen per LVVM, ARE, & BILE, non quatenus aliquod particulare respiciunt, quia hoc est per accidens: sed vt hæc tria indifferenter se habent ad omnia, & hoc essentialia est. Pluribus alijs modis aliquid in se aliud habere dicitur, quos recitare non expedit, ac sigillarim illorum vnumquemque describere; hoc tantum tibi satis sit cognoscere, entia in se aliquid habere, aliquo istorum modorū vel pluribus, videlicet eminenter, virtualiter in esse reali, virtualiter in esse cognito, potentialiter, actualiter, identicè, vni-  
tiuè, immensiuè, per dominium, per influxum, per mixtionem, per modum loci tam communis quàm proprii, vel per modum perficientis, siue substantialiter siue accidentaliter, vel alijs modis de quibus vbiq; Aristot. differit, quosque de facili inuenire poteris, discurrendo per Radices, Arbores, partesque illarum. Per tertiam speciem quæritur, Quid sit res in alio? Et varijs modis ad hanc quæstionem respondendum est, quia & diuersimodè vna & eadem res potest esse in aliquo vel in pluri-  
bus.

*Prima spe-  
cies.*

*Secunda spe-  
cies.*

*Plures modi  
habendi.*

*Tertia spe-  
cies.*



bus. Bonitas enim vel Magnitudo dicuntur in aliquo esse, quatenus illud est habituatum, ut secundum Bonitatem vel Magnitudinem agat vel patiatur. Hanc speciem poteris multiplicare eo modo, quo secunda species multiplicata est, discurrendo etiam per subiecta omnia, radices ac regulas. Qualiter verò definitiones sumendæ sint, unico exemplo manifestabitur, cum de regulis omnibus tractatum erit. Quarta species est, qua quaeritur, Quid res in alio habeat? cui respondendum est per ea, quæ actionem vel passionem significant; ut intellectus in obiecto est, illud intelligendo, atque in specie intelligibili, quia eam recipiendo patitur. Deus in creatis omnibus per sapientiam, potentiam & essentiam; creata verò in eo reperiuntur, quia conseruantur & diriguntur.

*Quarta species.*

### DE QVAESTIONE DE QVO.

HÆC quaestio, per materiale rationem in rebus implicatam regulatur quoniam de his quaerit, quæ ad rem aliquam constituendam sunt necessaria, siue illa intranea sint vel extranea: & habet tres species. Prima petit vnde vel à quo, res originem suam ducat, cui responderi debet, secundum convenientiam quæ penes subiectum attenditur, vel id de quo dubitatur. Si de Deo quaeratur, Vnde sit, vel à quo? à nullo modo esse, sed à seipso, respondendum est; quoniam Deus est à se, ex se, per se, & in se. Si verò de creatis quaestio petat, non à seipsis, sed à Deo, tanquam ab vniuersalissimo agente, esse, fateri necessarium est: licet quibusdam, nempe corporalibus, non repugnet à pluribus agentibus particularibus, suam quoque habere essentiam. Per secundam, de constituentibus rem inquiritur; siue constituenta illa summæ sint actualitatis, vel vnum habeat ratio: sicut actus, alterum potentia, vel materia & forma, aut vnum potentium sit, alterum verò priuatiuum. Tertia species est de dominio vel possessione, secundum quam dicimus, intellectum esse Homini, id est, ab homine possideri, & regnum Regis. Huius speciei quaestiones possunt multiplicari, discurrendo per omnia, quæ respectum aliquem norant.

*Prima species.*

*2. species.*

*3. species.*

*Hæc quaestio quomodo multiplicari potest.*

### DE QVAESTIONE QVARE.

HÆC quaestio, interrogat de rei essentia, quatenus ad existere vel operari ordinatur: ideo huius quaestio duæ sunt species. Per existere non intelligimus esse extra causam suam, aliter ad entia omnia quaestio hæc non esset vniuersalis, sed indifferenter accipitur pro quocunque esse, siue reali, siue cognito. Si per primam speciem de intellectu quaeratur, quare existat? respondendum est, quia hoc à propria plenitudine

*Per existere quid intelligatur.*

*1. species.*

haber,



*2. species.*

habet, nempe ab intellectu, intelligere & intelligibili, tum quia per Bonitatem, Magnitudinem ac cæteras radices, suum esse consequutus est. Per operationem verò est, ut intelligat & cognoscat suum finem, aliorumque entium naturam, & ut per eam, homines varios scientiarum habitus acquirant.

*DE QUÆSTIONE, CUIUS REGULA EST QUANTITAS.*

*Dua species huius quæstionis.*

SECUNDUM LULLUM, huius quæstionis duæ sunt species generales, videlicet, simplex & composita; quarum prior respondet essentiæ vel existentie rei, in quantum illud esse res adipiscitur per influxum simplicium radicum; posterior verò rei iam constitutæ (quasi) aduenit, ob pluralitatem concretorum essentialium, videlicet *IVVM, APB & BILE*. Plures tamen huius quæstionis possent species assignari, sicuti & plures sunt quantitates: videlicet quantitas perfectionis, virtutis, & molis, quæ triplex est, scil. longitudo, latitudo & profunditas; quibus ex quoque possunt addi, scil. quantitas continua successiva, & discreta; siue sumatur continuû & discretum proprie, siue transumptivè: quemadmodum & transumptivè consideravimus in capite de Quantitate. Simili quoque modo longitudinem, latitudinem, ac profunditatem etiam descripsimus, dum de formis erat sermo. Alia plura possunt colligi ad hanc quæstionem pertinentia, quæ in capite de Magnitudine, Fine ac Quantitate dicta sunt, ac explicata.

*Plures species possunt assignari.*

*DE QUÆSTIONE, CUIUS REGULA EST QUALITAS.*

*Duas continet species.*

DUAS sub se continet generales species hæc quæstio, cuius signum qualificium est *QVALE*, quæ cuilibet enti applicari possunt; una quarum de proprijs qualitatibus quærit, altera verò de appropriatis. Satis in capite de Qualitate explicatum est quid sint, tamen brevibus verbis earum quoque essentiam manifestabimus, ut illarum cognitio menti magis inhaereat, cum ubique de ijs mentio fit. Qualitas propria est, quæ rei convenit per se; appropriata verò quæ per aliud. In igne caliditas, propria qualitas nuncupatur, cum per se, & secundum propriam naturam illam sibi vendicet, sed quia siccitatem ratione terræ possidet, hinc est quod appropriata dicitur. Per hanc quidem regulam Artista inquirat eam, quæ inter subiectum & prædicatum sunt superiora & inferiora, quia propriae qualitates semper sunt superiores, sed appropriatae inferiores. PLURES

*Qualitas propria est appropriata quid.*

*In predicamento de Qualitate,*



res sunt qualitatis species, de quibus Arist. agit, secundum quas *Et in 5. Me-*  
 quaesita multiplicari poterunt, ubi de creatis erit inquirendum. *ta. cap. de*  
*Quali.*

*DE QVAESTIONE, CVIVS RE-*  
*gula est Temporalitas.*

**R**EGULA quaestionis quae tempus quaerit sub hac vocula  
**Q**UANDO, non est tam accurate consideranda ut verba sona-  
 re videntur, aliter de Deo & spiritualibus substantijs, secundum  
 hanc quaerendi formulam, nequaquam quaerere vel dubitare  
 possemus: Consideretur ergo hic temporalitas, pro duratione *Quomodo*  
 quacunque, vel eo modo, quo à nobis in Categorijs declaratum *temporalitas*  
 est; & tot habet species, quot secunda, tertia, nona, & decima *hic conside-*  
 quaestiones habent. Sub ijs verò speciebus divisiones sumere *retur.*  
 poteris, dividendo durationes per signa vel instantia, si aliam  
 divisionem nequiverint admittere, quemadmodum Aeternitas  
 & Aeuum. Facile satis est, per aliarum quaestionum species,  
 huius quaestionis species quoque indagare: exemplum tamen da-  
 bimus quomodo sit petenda à secundo quaesito, ut promptior  
 sit studiosus ad reliqua inquirenda. Si quaeratur per primam spe- *Exempla de-*  
 ciem illius quaesiti. Quando est homo? tunc esse debemus fateri *speciebus.*  
 quando illius essentia subsistit. Per secundam speciem; tunc est  
 homo quando suas partes essentiales habet. Per tertiã, scilicet quid sit  
 in alio? Est in muliere ut bonificans, magnificans, potens &c. Per  
 quartam verò & ultimam, homo habet in alio, scilicet habitu,  
 scientiam; sita, figuram; in tempore, mutationem; atque in  
 loco, locatum esse.

*DE QVAESTIONE VBI, CVIVS*  
*Regula est Localitas.*

**S**UB hac quaestione quindecim species continentur (inquit *15 species sub*  
 Lullus) quae ex secunda, tertia, nona & decima quaestioni- *hoc quaesito*  
 bus desumuntur. Et haec quaestio, de existentia in aliquo loco vel *continentur.*  
 situ quaerit, qua saepissime videntur homines, dum scire cupiunt,  
 Vbi Franciscus sit, vel tali tempore fuerit? Nec accipiendus est *Quomodo lo-*  
 locus vel Ubi phylicè, quia non tot eius essent species, quot assi- *cus sit consi-*  
 gnauimus, sed indifferenter & omnibus illis modis, quibus res *derandus.*  
 vna in alia potest esse, siue secundum determinatum quoddam  
 genus vel speciem, aut secundum transcendens aliquod. Ray- *Exempla se-*  
 mundus dat exempla, qualiter per species aliquot, intellectus *cundum var-*  
 sit in loco, ut loci essentia magis cognoscatur, quae describere *ias species.*  
 volumus. Per primam speciem secundae quaestionis, intellectus  
 est in vbi siue loco, quia est in sua essentia. Per secundam est in  
 seipso,



seipso, sicuti partes in suo toto. Per tertiam est in alio, quia in anima siue homine. Per quartam est in illa virtute, secundum quam habet habitum sciendi. Per primam speciem tertiæ quæstionis; sicuti intellectus est primitiuus, non habens aliquid præiacens, ex quo sit deriuatus materialiter, sic locus primitiuus est, quatenus existit pars vniuersi atq; generalis; & quo ad hanc speciem, non est locus sensibilis neque imaginabilis, sed per intellectum cognoscibilis solum. Per secundam, sua figura visibilis & imaginabilis est, non quo ad essentiam. Per tertiam locus est collocati possidentis locum, sicut calefactum possidet caliditatem, ipso habituato caliditate. Et subiungit Lullus, quod per has 3. species attingitur essentia loci per intelligere tantum; ita quod locus particularis in subiecto sustentato est diffusus, & deriuatur à loco vniuersali in subiecto vniuersali sustentato. Qui locus vniuersalis locat omnia locata, sicut omnia calida sunt calida, per vniuersalem caliditatem. Per primam speciem nonæ quæstionis, loci natura cognoscitur; nam per hoc quod pars est in parte, sicut ignis in aëre, vt patet in elementato, forma in materia & omnes partes in suo toto, & è conuerso, sic vnus locus est in alio per accidens & omnia loca particularia in loco vniuersali. Locus vltterius cognoscitur per secundam speciem, quia est instrumentum substantiæ, quò locat partem in parte. Et hæc sunt, quæ de Ubi tradit Lullus, in Arte sua generali.

In 4. parte  
principali.

DE QUÆSTIONE QUOMODO,  
cuius regula est Modalitas.

Innumera huius quæstionis sunt species.

ASSIGNANTUR quatuor species huic quæstioni, innumeræ tamen possunt esse, quia radices omnes, ac prædicamenta omnia accidentalia cum suis generibus, speciebus, ac proprietatibus considerata, vnamquamque rem saltem creatam possunt modificare. Et ex varietate modificationis, species huius quæstionis confurgunt. Sed quæ sint illæ quatuor species quas Ray: tradit, restat videre. Prima est, quando de re aliqua quæritur, Quomodo sit in se? quæ si applicetur intellectui; tunc respondendum est. Intellectum in tali esse constitutum dici, quando remotus est ac segregatus ab omni alia essentia, vel saltem,

1. Species.
2. quando taliter consideratur. Secunda est, quando de intellectu quæritur, Quomodo sit in alio, & illud idem in ipso? cui hoc modo satisfaciendum est scil. intellectum in voluntate habere suum esse, ipsaque in eo existere, quatenus cum memoria animam rationalem constituunt. Tertia petit, Quomodo intellectus est in partibus suis, partesq; in illo? ad quem respō-

dere



dere poteris, hoc ideo esse, quia per eandemmet naturam qua ipse constat ex proprio intellectiuo, intelligibili, & intelligere, sic & hæc tria eius partes dicuntur. Quarta autem inquit. *4.* Quomodo intellectus suam similitudinem ad extra transmittere possit? Et huic dubitationi breuibus satisfacere quis poterit, si eundem intellectum aliquo habitu informatum considerauerit extranea intelligere.

*DE QVAESTIONE CVM QVO, CVIVS  
Regula est Instrumentalitas.*

**H**Æc quæstio quærit de instrumentis & medijs, quibus *Nota optimè,* res in suis operationibus vtuntur, siue illa essentialia sint, quemadmodum anima rationalis instrumentum est, quo homo intelligit, vult & memoratur; siue passiones vel proprietates, sicuti in ferro est grauitas, & in igne leuitas; aut sint accidentia communia, secundum quæ substantiæ operantur, veluti sunt nouem accidentis prædicamenta; & denique quæstio hæc petit de omnibus accidentibus moralibus, sub quibus virtutes omnes ac vitia continentur, ac etiam de illis corporibus, quibus Mechanici in diuersis eorum artibus vtuntur. Raym. autem quatuor species illis haud ab similes, enumerat, quæ immediatè priori quæsito sunt applicatæ. Per primam quæritur. Cum quo intellectus est animæ pars? Et responderi debet, quod *1. species.* cum Bonitate, Differentia, Concordantia ac omnibus radicibus, contrarietate excepta. Per secundam. Cum quo intellectus alia à se intelligit? Dicatur, quod intellectuone. Per tertiã. Cum quo intellectus est vniuersalis vel particularis? Respondeatur, quod ratione specierum, quæ si vniuersalium sunt, vniuersalis fit, si particularium, particularis. Per quartam. Cum quo intellectus extra se, suam mittit similitudinem? Potest responderi, quod cum proprio intellectiuo, intelligibili, ac intelligere, cum quibus facit species esse intellectas, & per memoriam recolibiles ac etiam per voluntatem amabiles. *Nota.* Et ex quæstiones omnes, inter se non sunt tam diuersæ ac disparatæ, quod vna de ijs, quæ ad omnes alias responsum est, quærere vel dubitare non possit; imò ob earum maximam generalitatem sunt tam connexæ, quod de vna quaque data responsione, secundum omnes, homo potest veritatem inuestigare.

*MODVS SVMENDI DEFINITIONES  
ex Quæstionibus.*

**P**ROMISSIMUS exemplis ostendere, qualiter rei vniuscuiusque definitiones quâ plurimæ, valeant fabricari ex quæstionibus,



*Definitiones  
ex omnibus  
quæst. de sum-  
pta.  
Ex secunda.*

nibus, quod statim obseruare curabimus, de Angelo id manife-  
stando. Diximus, primam quæstionem non esse ad propositum  
huiusmodi, quoniam ipsa de rei esse quærit, quod in defini-  
tionibus supponitur; per reliquas igitur intentum nostrum ex-  
plicabimus: Per primam speciem secundæ quæstionis Angelus  
definiri potest. Angelus est illa creatura, quæ magis est Deo  
similis. Per secundam, Angelus est, qui habet partes suas essen-  
tiales, tanquam constituentes eius esse. Per tertiam, quo ad  
actionem, Angelus est, qui id agit, quod sua voluntas vult, intel-  
lectus intelligit, ac memoria memoratur, & hoc sine succes-  
sione & fantasmata adiuvante. Quo ad passionem Angelus  
bonus est, qui à Deo recipit immediate influentias. Angelus  
verò malus ille est, qui ab extrinsecis recipit passiones, quando ne-  
quit homines ad peccandum inducere, vel qui à Deo per gra-  
tiam abest, suo sine frustratus. Per quartam, Bonus habet in  
Deo gloriam, & in inferioribus potestatem, Malus verò pœ-  
nam. Per primam speciem tertie quæst. Angelus est à Deo  
creatus, non de materia aliqua. Per secundam, est de omnibus  
radicibus vel principiis, in esse spirituali ac completo constitu-  
tus. Per tertiam, est Dei creatura cum benedictione & gloria,  
si bonus est; si malus est, utique Dei creatura dicitur, cum con-  
tradictione, dolore ac pœna. Per primam speciem quartæ quæ-  
stionis, eodem modo debet definiri, sicuti definitus est in se-  
cunda specie tertie quæstionis. Per secundam verò ideo est, ut  
Deum intelligat ac diligat, præbendo obsequia hominibus.  
Per quintam quæstionem. Angelus tantus est, quantæ sunt  
eius partes essentielles, siue discretæ sint, vel continuæ. Per sex-  
tam quæstionem, quo ad qualitates proprias. Angelus est, cu-  
ius intelligere & velle est efficacissimum, vel qui in tempore  
imperceptibili maximum transit spacium, vel qui non est natus  
viri corpori. Secundum verò appropriatas qualitates, Ange-  
lus est secundum diuersos habitus in intellectu vel voluntate  
subiectatos, logicus, grammaticus, vel philosophus; aut sapi-  
ens, prudens, bonus, humilis, fidelis, mitis, patiens, & verax si  
bonus est, si verò malus, quo ad ea quæ ad voluntatem spectat,  
oppositum considera. Per septimam quæstionem, quæ est de  
tempore, Angelus est, cuius esse in æternitate existit. Per  
huius quæstionis species discurrere poteris. Per octauam quæ-  
stionem, Angelus est natura completa, in loco existens, non ta-  
men locum occupans. Per primam speciem nonæ quæstionis,  
Angelus est substantia quædam spiritualis cuius esse est per se,  
& non cum aliqua re coniunctum. Per secundam, Angelus est  
in Cœlo, ut motor, cœlumque in eo ratione potestatis. Per ter-  
tiam, Angelus est in suis partibus essentialibus, per propriam  
naturam



naturam vel essentiam, partesque in eo reperiuntur, eadem de causa. Per quartam, Angelus est, qui voluntate sua ac potentia exequentia, variis modis operatur. Per primam speciem quaestionis decimae, Angelus est, qui cum Bonitate ac aliis radicibus existit, contrarietate exclusa. Per secundam, Angelus est, cum suis principiis innatis & naturalibus. Aliae sunt huius quaestionis species, de quibus exempla non adducuntur, quae tamen quilibet inuenire de facili poterit, si optimè speculabitur. Possunt quoque res definiri per radices omnes, ac variis aliis modis, quos aliquando enumerabimus (Deo concedente) sed pro nunc contentus esto.

*Ex 10.*

## ANIMADVERSIONES PRO Radicibus.

PRINCIPALIS primae partis haec pars quinta & vltima, pauca quidem continet, sed admodum necessaria scitu, quonia in hac explicantur quae ab arte Lulli omnem ambiguitatem tollunt. A radicibus igitur auspicatori, haec erit prima animadversio, non radicibus solum accommodanda, sed etiam Categoriis ac Formis. Quod licet haec omnia natura sua sint transcendentissima, tamen quando substantiis particularibus applicantur per praedicationem, vel accidentibus, tunc particularia fiunt; nec amplius eandem obtinent facultatem, qua transcendentissime considerata, nata sunt frui; nempe ut radix una uel aliquid tale, de altera in abstracto praedicari possit. Unde propositiones istae falsae sunt, Bonitas Petri, est Magnitudo Petri. Magnitudo Petri est Duratio Petri; quia abstractum de abstracto nequaquam praedicari potest, nisi quando ambo sunt infinita positivè vel permissivè, vel saltem alterum illorum; quod de praedicatis illis verificari non potest ad Petrum comparatis; secus erit si in concreto sumantur. De hac materia plurima omitto, quae possunt videri apud illuminatum May; Haec tamen propositio vera est. Bonitas Petri, est Magnitudo, vel Magnitudo Petri est Duratio; quia praedicatum non sumitur limitatè, sed transcendentissime; & secundum hunc modum optimè de limitato iudicari potest; quia licet positivè & formaliter non infinitum sit, tamen permissivè, quoniam Deo potest applicari, qui formaliter est infinitus. Nec frustra haec animadversio ponitur, ut cognoscat intellectus, quomodo seipsum ligare possit, ac vincula euitare.

*Animadversio 1.**In 5. dist. suo Conflatuo.**2.*

Non est dubium, quin eam radices quam categoriae, ratione maximae generalitatis, taliter ad invicem sint connexa, quod ad unius positionem, in bona consequentia alterius vel omnium



positio sequatur; sicuti ad positionem bonitatis, sequitur positio  
o aliarum radicum, & ad positionem Quantitatis, reliquarum  
categoriarum, quoniam cum ente conuertuntur: tamen ratio-  
ne præsuppositionis à posteriori ad prius, est formalior cōsequē-  
tia. Vnde optimè sequitur, Petrus est gloriosus, ergo de eo hoc  
est verum. Petro verò gloria inest, ergo ratione virtutis alicuius.  
Est virtuosus, ergo est volens. Est volēs, ergo cognoscens, Est co-  
gnoscens, igitur habet potentiam aliquam. Est potens, igitur e-  
xistit. Existit igitur perfectionem habet. Est perfectus, ergo esse  
essentia habet. Idem est iudicium de respectiuis radicibus ac ca-  
tegoriis. Posito .n. quod Petrus sit in tempore, sequitur ipsum  
quoq; Situatam esse, Locum occupare, Passione affici & Actio-  
ne, Respectus habere, Qualitatibus esse subiectum, ac demum  
Quantitatem possidere. Hęc animaduersio aurea sanè potest e-  
xistimari, quia p̄ hęc via aperitur, ac modus explicatur, quo me-  
dia ad argumētandū, & in optima cōsequētia, sint desumēda.

*Aurea anim  
aduersio.*

Præterea summa diligentia est adhibenda in applicatione u-  
niformi harum radicum ad subiecta, ne mōstrum aliquod pro-  
pter ineptam applicationem sequatur. Si enti rationis Magni-  
tudo à ratione fabricata applicatur, reliqua quoq; applicanda  
eiusdem naturæ debent esse. Nec difficile erit hoc obseruare, si  
congruè quod primum est in ordine quodq; cætera prærequi-  
runt, erit applicatum. Radices omnes primā præsupponunt Bo-  
nitatem .s. Et categoriæ omnes sine quantitate existere neque-  
unt: idè si alicui enti Bonitas realis vel ab intellectu excogita-  
ta applicetur, & sequētia talia erunt; idè intellige de categoriis

*Gradus scala  
naturalis.*

Scala naturæ est obseruanda; & omne quod perfectionem si-  
ne imperfectione notat in inferiori, superiori debet attribui. O-  
peratio lapidi attributa (qui lapis est in infimo gradu naturæ cō-  
stitutus) attribuenda quoq; est Vegetantibus, quæ secundum  
scalæ gradum obtinet. Sensitiuis exterioribus sensibus, quæ ter-  
tium. Sensitiuis interioribus sensibus, quæ quartum. Intellectui  
coniuncto, qui quintum Intellectui separato finito, qui sextū.  
& tandem Deo conuenire opinandum est, qui tanquam omniū  
rerum summum principium, in capite scalæ sedet. Quod verò im-  
perfectionem habet annexam, si inferiori conuenit, non superi-  
ori omni est attribuendum; hinc sequitur, quod à Deo remo-  
uenda est contrarietas & minoritas, licet inferioribus conue-  
niat. Scalam naturæ ordinavit diuinus Lullus per nouem sub-  
iecta, & longiorem per quatuordecim arbores; & gradus quili-  
bet est generalissimus, sub se continens subalterna genera; hæc  
verò species; species autē indiuidua. Qui in omni negotio mul-  
ta cupit scire, hanc scalam sibi formet, & per radices, categori-  
as, quæstiones ac formas discurrat, applicando secundum subie-  
ctorum conuenientiam.

*Diuinus Lul-  
lus ordinavit  
Scalam natu-  
re.  
Nota.*

Radices



Radices illæ, quæ rem in esse constituunt, quando applicantur s. subiectis, illorum naturam sortiuntur; vt patet de Bonitate, Magnitudine, Duratione ac reliquis; quæ Deo applicatæ, infinite fiunt, creatis verò finitæ.

Discrimen inter radices ac reliqua transcendentissima, est 6. præ oculis semper habendū, ne definitionum & proprietatum læsio causetur. Et discrimen ex iis poterit cognosci, quæ in capite de Differentia dicta sunt.

Integra radicum natura est seruanda, quæ seruabitur, si radix vna oppositio suo non applicabitur, sub ea ratione qua oppositum est, Non est igitur Bonitas malitiæ adiungenda. Magnitudo paruitati, & Duratio non existenti. Plura possem tradere pro radicibus, quæ tamen ex dictis possunt deduci; ideo & diligens Lector ea inquirat.

### ANIMADVERSIONES PRO CATEGORIIS.

OMNES animaduersiones quas pro radicibus descripsimus, *Nota.* fat s. commodè Categoriis possunt applicari, vt liquidò patet; hinc est, quod non multa de iis dicemus. Hoc explicare volumus, videlicet has categorias speciem tradere radicibus ac formis, secundum quas possunt tales nominari. Bonitas etenim Vnitas vel pluralitas, licet speciem quandam recipiant à subiectis illis quibus applicantur, adhuc tamen nescitur quid determinatè sint, nisi ad categorias recurratur. Scio quidem vnam & eandem rem plures habere rationes, secundum quas distinctè concipi potest; quam si considerauero bonam vel magnā, quatenus est homo vel lapis, nec adhuc optimam illius bonitatis vel magnitudinis noticiam habebo; prout bonitas conuenire adæquatè dicitur illi rei. Si verò rem eandem secundum categorias ordinauero, tunc per applicationem radicum vel formarum, in hanc deueniam cognitionem .s. aliam esse hominis vel lapidis essentialem bonitatem, aliam secundum qualitatem propriam vel appropriatam, & aliam secundum categorias reliquas diuidendo ac subdividendo omnibus modis possibilibus. Nec negamus hæc pariter à radicibus vel formis specificari, quia æquæ sunt transcendentissima. Vicissim igitur specificantur, sed ab iis omnibus, arbores & subiecta. *Prima.*

Admirabilem utilitatem consequeris, si hæc prædicamenta 2. disposueris eo modo, quo radices disponuntur; ea aliquando *Admirabilis* considerando absolutè, aliquando respectiuè, & ex illis 4. figuris constituendo. *Utilitas.* Primam, qua omnia hæc absolutè considerentur, & vnum de alio prædicetur, imò omnia de vno. *Nota.* Secundam, in qua Quantitas, Qualitas & habitus ordinentur pro primo triangulo. Actio, Relatio, & Passio pro secundo. Vbi quædo



& sicut pro tertio, miscendo vnum triangulum vel angulum cum alio, rectè, obliquè, & transversaliter. Tertia figura, vnà has duas figuras connectet, cameras triginta sex constituendo; & secundum vnāquamq; cameram duodecim propositiones elicies ac 24. quæstiones, vti Lullus hoc de radicibus posse fieri docuit. In quarta verò, poteris primā, secundam, & tertiam figuras coniungere, atq; maximam tabulam construere, qua infinitas rationes vel argumenta conficies. Quæ omnia in 4. parte principali clariora fient, per ea quæ de quatuor figuris à Lullo inventis explicabuntur. Et sic duplicatam habebis Lulli artem. Hæc pro Categoriis tibi sufficiant.

## ANIMADVERSIONES PRO Formis.

1. Animad-  
versio.

In li: 7<sup>o</sup> Metaph.  
cap. 7 & 9. 10.  
& in li: omni-  
bus plis.

Nota.

3.  
Adhibenda  
noticiam pas-  
sionum cuius  
cuiusq; entis.

SOLITA sua ingenij perspicacitate Lullus formas inuenit, vt eatum medio magis atq; magis in rei cognitionē intellectus deuenire possit; eæ etenim, cum nihil aliud sint quàm rerū proprietates, quæ à rei differentia vel modo intrinseco emanant, ipsis cognitis, & rei essentia cognoscitur; & hunc modū cognoscendi vbiq; monstrat Ar: Quod autem hoc sit verum, vnico exemplo videamus. Ar: in libris physic. subiecti totius naturalis philosophiæ proprietates multas enumerat, atq; docet quid illarum quælibet sit, & hoc ea tātum de causafacere opinor, vt illius natura magis cognoscatur. Nō etenim sola cognitio, quod ex materia & forma componatur atq; efficientem & finalem causam habeat, sufficit; sed necessarium est scire motui esse subiectū ac infinito in potentia, loco cōtineri, tempore mensurari, & ob motum continuū primi mobilis; posse actualiter moueri; quæ omnia passiones sunt quædā & affectiones. Quando igitur, rei alicuius ignotæ voluerimus essentiam cognoscere, statim ad formas recurrendum erit, si alia ratione nequiverit à nobis cognosci. Obseruandum tamen est, ne per affectiones cōmunes id inquiratur, aliter definitio non erit propria. Si per esse spirituale vellem Deum describere, hæc vtiq; descriptio inanis esset, quia Angelo & animæ rationali ac speciebus intelligibilibus cōpetere potest. Si verò dicam: Deus est necessarius omninò imobilis ab omniq; compositione segregatus; hæc vtiq; descriptio bona existimabitur. Dicit aliquis. Illa sanè descriptio bona est, sed vnde habeatur, nescio. Nota optimè quæ sequuntur, & scies. Quando alicuius rei ignoratur passiones propriæ, statim ad illius oppositi naturam recurrendum est; cuius passiones si cognosci poterunt, & alterius oppositi cognoscetur, sin verò, tunc ad naturæ scalā confugere debes, & priorū vel posteriorum in tali scala indagare passiones, ex quarum cognitione, eius de quo cupis, per respectus varios, passiones cognosces. Quando Deum descri-



psi, sicuti supra patet, creaturam contemplatus sum, quæ in ratione diuisionis entis Deo opponitur, cuius passiones præcipue cum sint contingentia, mobilitas & compositio, oppositum Deo conuenire considerauis; ideò optimè descripsi. Plura possem dicere, sed subtiles subtilia quærant.

### ANIMADVERSIONES PRO QUÆSTIONIBUS.

EX iis quæ de quæstionibus dicta sunt, satis earum animadversiones sunt notæ: nonnulla tamen manifestare non pigebit, ac cum breuitate. Primum animaduertere debes, Quando de re aliqua quesitum erit; licet per propriam quæstionem responsio sufficiens elicietur, huic tamen cõiungere poteris responsionem, qua in illa quæstio exoptulat, quæ ab hac originem ducit: mutuò enim se debent adiuuare, vt responsio clarior sit. Secundum est, vt caueas in definitionibus à quæstionibus sumendis, ne loco unius aliam accipias, ob nimiam similitudinem quam regularum species aliquando inter se habent. Quibus explicatis, cum Dei laude ac gloria, hæc prima pars finem adepta est.

## SECUNDA PARS.

**A**BROLUTA prima parte, in qua eadem omnia sunt explicata ac declarata, quæ ad naturam cuiuscunq; subiecti cognoscendam sunt necessaria; remanet vt secundam partem aggrediamur, in qua subiecta omnia considerantur. Per subiecta hoc in loco intelligimus quæcunq; ab intellectu cognoscibilia, siue hoc fiat propria virtute, vel luminis supernaturalis. Et ne procedendi ordinem relinquamus, hanc partem in 3. partes diuidemus; in quarum prima, per sufficientem entis diuisionem arboribus applicatam, aperte manifestabimus, nullum posse dari ens, vel intellectu excogitari, quin sub arbore aliqua contineatur: in 2. cuiuslibet arboris partes, in vniuersali tamen, declinabimus: in 3. verò, singularum arborum naturam & partes, in particulari aperiemus.

### PRO PRIMA PARTE SECUNDE PARTIS PRINCIPALIS.

**N**ULLUS inficiabitur, quin hæc inferius descripta entis diuisionis, realis sit, realibusq; entibus conueniens, tamen dubitabit aliquis de rationalibus, An locum habeant in iis arboribus? quæ dubitatio de facili è medio tolletur, inquitendo; quod in arbore humanali hominis intellectus consideratur, qui horum entium præstantissimus est opifex.







**N**ON te conturbet amice Lector, si de accidentibus corporeis nullam mentionem fecimus, quoniam id obliuio non caufauit, sed consultò hoc tacere voluimus, quia in omnibus ferè arboribus reperiuntur dispersa; veluti in prima parte ostendimus. Pro arbore sensuali hoc monere placuit, quod quamuis nullum possit reperiri animal omni interno sensu carens, animalia tamen sub arbore Imaginali considerare oportet, ac si exterioribus sensibus essent expertia; & sub sensuali sine internis sensibus. Et sic est finis primæ partis, secundæ principalis.

**V**T ea omnia statim cognoscere quis possit, quæ in hac secunda parte principali continentur, breuiter deliniare singulas arbores voluimus, & eo ordine, quo explicabuntur: quod satis vtile arbitramur futurum studiosis. Et in hoc, secunda pars huius principalis partis completur.

*DE ARBORE ELEMENTALI.*

**A**D hanc arborem omnia elementa vel elementata reducuntur, quæcunque sunt illa. Ea quoq; quæ vita fruuntur, quatenus elementata, in hac arbore continentur. Affectiones etiam omnes, omniaq; accidentia vel operationes, elementis vel elementatis conuenientia hic considerantur, vt in sequenti arbore patet.

Arboris  
Elemē-  
talis par-  
tes sunt

Radices, scil. Bonitas, Magnitudo, Duratio & alia, quæ supra in prima parte sunt explicata.

Truncus, qui constare dicitur ex omnibus corporibus sub Lunæ concauo contentis: suumque esse à radicibus habet, quatenus vnà aggregatæ in ratione materiæ & formæ, quoddam chaos constituunt.

Branchæ, sunt quatuor elementa simplicia, videlicet Terra, Aqua, Aër & Ignis, quæ sua natura sunt à corruptione remota.

Rami, sunt elementa composita, scil. Terra, Aqua, Aër & Ignis: per quæ sustentamur ac vivimus.

Folia, sunt corruptibilia accidentia. scil. Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio, Passio, Positio, Habitus, Vbi & Quando.

Flores, sunt rerum instrumenta, quibus vtuntur in suis operationibus; sicuti manus, pes &c. Operationes quoque ab illis manantes.

Fructus, sunt elementa omnia, siue perfecta sint vel imperfecta: quæ generantur aut in aëre, vel in aqua, vel in terra.



VALERII DE VALERIIS  
DE ARBORE VEGETALI.

**E**A omnia quæ in hac arbore continentur, vel ad quam reducuntur, sub duplici ratione veniunt considerata, videlicet quatenus esse habent, & simplex viuere. Hæc etenim est illorum perfectio, quæ in sublimiori gradu naturæ sunt constituta, vt inferiorum contineant (aliquo modo) perfectiones. Radices igitur & Truncus ac reliquæ huius arboris principales partes, imo & minus principales, elementales sunt ac vegetantes.

Vegetantis  
arboris par  
tes.

Radices, sunt illa generalia principia; quæ & pro radicibus Elementalis sunt ordinata.

Truncus, est vniuersale chaos, in quo potentialiter vegetantia omnia continentur.

Branchæ quatuor sunt, scil. potentia appetitiua, retentiua, digestiua & expulsiua.

Rami huius arboris, quia videri non possunt nec aliquo sensu exteriori apprehendi, nobis manifesti fiunt per formas, de quibus in prima parte dictum est, ac etiam dicetur, cum elementalis arbor explicabitur, plures numerando; verius tamē per generationem, corruptionem, priuationem & renouationem, quam per reliquas formas.

Folia sunt nouem accidentis prædicamenta.

Flores huius arboris sunt instrumenta quædam, quæ ex tribus sunt constituta, scil. ex potentia, obiecto & actu, vt fructum generationem vel esse genitum respiciunt.

Fructus sunt vegetantia omnia particularia, quæ ad quatuor classes possunt reduci, sicuti & quatuor sunt elementa quæ in ipsis habent dominium, iuxta specierum varietatem.

DE ARBORE SENSUALI.

**Q**UÆCUMQUE in hac arbore considerantur, prius ea ratione qua sensualia sunt, considerari debent, & deinde quatenus duarum præcedentium arborum naturam participant.

Arboris



Arboris  
sensualis  
partes  
sunt.

Radices, eadem penitus sunt, quæ in prioribus arboribus sunt constitutæ.

Truncus, est vniuersale chaos, omnia sensualia continens.

Branchæ, sunt sex sensus exteriores, scil. visus, auditus, tactus, gustus, odoratus & affatus.

Rami, sunt sensuales membra interiora & exteriora; interiora, vt cor, epas, splen, & pulmo; exteriora verò, caput, pedes, crura &c.

Folia, sunt eadem, de quibus in prioribus dictum est, sub triplici tamen ratione considerata.

Flores, sunt operationes sensuales corporis, sicuti videre, audire, gustare &c.

Fructus, sunt omnia animantia, quatenus sensualia, vegetantia, & elementata sunt.

### DE ARBORE IMAGINALI.

**I**N hac arbore similitudines & idola eorum omnium quæ in arboribus sensuali, vegetali & elementalibus continentur, considerata se offerunt. Et per imaginatiuam, non eam tantum potentiam accipere debemus, quæ sensus communis species conseruat, sed potentias omnes interiores; nempe sensum communem, imaginatiuam, æstimatiuam, vel cogitatiuam, phantasiam ac sensualem memoriam; quæ fortè, ratione diuersarum operationum distinguuntur, & non in essentia.

Arboris  
Imagi-  
nalis  
partes  
sunt.

Radices, sunt eadem, quæ in tribus arboribus sunt consideratæ, pro vt potentia alicui interiori vel omnibus, per speciem repræsentantem sunt præsentis.

Truncus, est similitudo trunci cuiuslibet arboris prioris, alicui potentia interiori oblata.

Branchæ, sunt similitudines brancharum arborum priorum, quas potentia aliqua sensuali interior respicit.

Rami, sunt similitudines ramorum aliarum arborum.

Folia, sunt similitudines foliorum arborum præcedentium.

Flores, sunt quoq; idæ vel simulacra florum, quæ in tribus prioribus arboribus considerantur.

Fructus, aliorum fructuum sunt intraneæ sensuales similitudines.



VALERII DE VALERIIS  
DE ARBORE HUMANALI.

**Q**uemadmodum homo duas habet naturas, corpoream, scilicet & spiritualem, ita & pars quælibet arboris huius, secundum hanc duplicem naturam consideranda est; corporea autem quadruplici de ratione examinanda relinquitur, scilicet quatenus est elementalis, vegetans, sensualis & imaginabilis. Ex quibus colligitur, quamlibet huius arboris partem, quinque modis esse considerandum.

Arboris  
humana-  
nalis  
partes  
sunt

Radices illæmet sunt, de quibus supra, quinque modis consideratæ.

Truncus, est species humana vel chaos, in quo homines omnes sunt contenti.

Branchæ huius arboris corporeæ sunt illæ, quæ in quatuor arboribus sunt consideratæ, sed spirituales tres esse dicuntur, scilicet intellectus, memoria & voluntas.

Rami, sunt proprietates membrorum humanorum atque potentiæ animæ rationalis.

Folia, sunt accidentia in humana natura subiectata, secundum quintuplicem naturam.

Fructus, sunt individua speciei humanæ, quo ad esse & operari considerata.

DE ARBORE MORALI.

**D**UAS habet partes hæc arbor, in quarum vna de virtutibus omnibus agitur, in altera verò de vitijs virtutibus oppositis; hinc est, quod duas arbores ordinabimus, quarum prima virtuosa erit, at secunda vitiosa.

*Arbor Virtutum.*

Arboris  
moralis  
virtuo-  
sæ par-  
tes sunt

Radices huius arboris sunt generalia principia, de quibus in prioribus arboribus dictum est.

Truncus, ex radicum essentia constare dicitur; & nihil aliud est quàm mos confusus & generalis, in quo particulares mores potentia continentur; quibus homines sunt benè habituari.

Branchæ, sunt septem virtutes, scilicet Iustitia, Prudentia, Fortitudo, Tēperantia, Spes & Charitas; quarum primæ quatuor, cardinales dicuntur, reliquæ verò theologice. Aliæ sunt virtutes ab ijs descendentes; quas numerare placet, & sunt istæ: Sanctitas, Patientia, Abstinencia, Humilitas, Pietas, Castitas, Liberalitas, Fidelitas, Cōstantia, Diligentia, Suauitas, Conscientia, Timor, Contritio, Verecundia & Obedientia.

Rami,



Rami, sunt similitudines ramorum arborum præcedentium, & præcipuè arboris Imaginalis.  
 Folia, sunt nouem accidentia, ex quibus virtutes sunt ornata.  
 Flores, sunt virtutum merita, & multiplicantur ad virtutum multiplicationem.  
 Fructus, sunt meritorum mercedes, & vt Deus honoretur virtuosè, ac ei seruiatur.

*Arbor Vitiorum.*

Radices in hac arbore, quædam sunt principaliores, quædam verò minus principale; principales sunt, Malicia, Stultitia, Falsitas & Priuatio finis; quibus eæ minus principales sunt connexæ, videlicet Magnitudo, Duratio, Potestas, Voluntas, Delectatio, Differentia, Concordantia, Contrarietas, Principium, Medium, Maioritas, Æqualitas ac Minoritas.

Truncus, est confusio generalis, in qua sunt omnia particularia vitia contenta.

Branchæ aliæ sunt principales, aliæ ab ijs originem suam trahentes; principales sunt Gula, Auaritia, Luxuria, Superbia, Accidia, Inuidia & Ira; reliquæ autem sunt Iuuitia, Indiscretio, Debilitas cordis, Intemperantia, Infidelitas, Desperatio, Cruelitas, Traditio, Homicidium, Latrocinium, Mendacium, Maledictio, Impatientia, Inconstantia, Immundicia, Falsitas, Pigrizia, Incurialitas & Inobedientia.

Rami à Branchis oriri dicuntur, & sunt illa quibus vitiorum habitus generantur, & oppositæ virtutes reijciuntur.

Folia, sunt accidentia nouem, quibus vitia sunt qualificata.

Flores, sunt culpæ à vitijs manantes.

Fructus, sunt pœnæ, ob vitia peccatoribus inflictæ.

*DE ARBORE IMPERIALI.*

**I**N hac arbore ea omnia considerantur, quæ ad regimẽ vniversale spectare dicuntur. quatenus tale regimen est temporale vel seculare. Nec hoc in loco, Imperatoria Maiestas tantum est consideranda, sed etiã cuiusuis alterius personæ dominium, in quantum legibus imperatorijs fulcitur ac respectum habet

Arboris  
moralis  
vitiosæ  
partes  
sunt



ad Imperatorem. Et hæc arbor in duas partes diuiditur, prima quarum respondet priori parti arboris moralis, & secunda secundæ; hinc est quod illarum duarum partium debet fieri in omnibus huic arbori applicatio, secundum virtuosum esse aut vitiosum, Imperatoris.

Arboris  
Imperi-  
alis par-  
tes sunt

Radices, sunt illæ, quæ in prioribus arboribus sunt consideratæ.

Truncus, est commune regimen sæculare, quod significat communem personam Imperatoris.

Branchæ, sunt decem, scil. Barones, Milites, Burgen-  
ses, Consiliarij, Procuratores, Iudices, Aduocati,  
Nunciij, Confessarius & Inquisitores.

Rami, sunt iidem qui in morali arbore sunt conside-  
rati, & præter hos, septem quoq; assignantur, scil.  
Iustitia, Amor, Timor, Sapientia, Potestas, Ho-  
nor ac Libertas.

Folia, sunt nouem accidentia, de quibus supra.

Flores, sunt Imperatoris iudicia ac suorum ministrorum.

Fructus, est pax gentium, vt in pace Deum diligere possint.

### DE ARBORE APOSTOLICALI.

**E**A omnia quæ hominem ad Deum ordinant, hac in arbore cõsiderantur, & versatur circa personas & res Ecclesiasticas. Quoad Truncum & Branchas, potest considerari omnibus modis quibus arbores præcedentes sunt consideratæ, præter Imperialem, quæ pariter priores omnes continet, saltem, quo ad Truncum & Branchas.

Arboris  
Aposto-  
licalis  
partes  
sunt.

Radices, sunt Virtutes Theologicæ & Cardinales, quatenus à radicibus vniuersalioribus sunt informatæ.

Truncus, est persona generalis, quæ dicitur summus Pontifex, successor Petri, & Seruatoris nostri Iesu Christi Vicarius.

Branchæ, sunt Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Priores, Ministri & aliæ personæ ad spirituale regimen deputatæ.

Rami, sunt iidem qui & in arbore Imperiali sunt constituti, quibus coniunguntur decem præcepta legis.

Folia, sunt septem Sacramenta & canones, quæ à categorijs nostris possunt qualificari & ornari.

Flores, sunt quatuordecim articuli Catholicæ fidei, quorum septem Christi Deitatem concernunt, & reliqui eiusdem sanctissimam humanitatem.

Fructus, est saluatio gentium.

DE



## DE ARBORE COELESTIALI.

Quęcunq; conueniunt cęlesti naturę, siue ad essentię perti-  
nentia, vel hanc sequentia, aut quę ab hominib. sunt exco-  
gitata, ob diuersitatem, aspectuum vel effectuum in ijs inferio-  
ribus apparentium, in arbore ista continentur; vbi singulari ar-  
tificio illa explicantur, quę Astrologus considerat.

Radices, sunt principia illa generalia, de quibus su-  
pra, excepta Contrarietate.

Truncus, est corpus naturale vel chaos, natura sua  
in corruptibile atq; à qualitatibus segregatū, ani-  
matum anima, illud mouente circulariter.

Branchę, sunt duodecim signa Zodiaci, quę taliter  
sunt disposita, qđ tria sunt cum aere symbolizantia  
in Vere, tria cum igne in Æstate, tria cum terra in  
Autumno, & tria cum aqua in Hyeme.

Rami, sunt septem Planetę, quorum variij ac variij  
apparent in inferioribus effectus.

Folia, sunt nouem accidentia, de quibus supra.

Flores, sunt actus & operationes cęlestes.

Fructus, sunt res generatę vel corruptę in inferiorib.

## DE ARBORE ANGELICALI.

Quę spectant ad naturam Angelorum vel ad illorum ope-  
rationes, hoc in loco explicantur.

Radices, sunt principia generalia, excepta Contra-  
rietate.

Truncus, est spiritalis substantia, quę ad corpus  
nullam habet inclinationem, in ratione formę in-  
formantis.

Branchę, sunt potentię illę spirituales, de quibus in  
arbore humanali quoq; dictum est, sc. intellectus,  
memoria & voluntas.

Rami, sunt dictarū potentiārū correlatiua, scil. intel-  
lectiuū, intelligere & intelligibile, pro primo ra-  
mo; memoratiuū memorari & memorabile, pro  
secundo; volitiuum, velle & volibile, pro tertio.

Folia, sunt nouem accidentia, sed modo spiritali,  
considerata, quę à Categorijs in prima parte ex-  
plicatis possunt sumi.

Flores, sunt actus & operationes Angelorum.

Fructus, sunt duplices, quidam naturales, qui sunt  
complementa actuum potentiarum, vt respiciunt  
alia à Deo, quidā supernaturales, & sunt comple-  
menta actuum earundem potētiarum, quare vs

Deus est obiectum.

DE

Arboris  
cęlesti-  
alis par-  
tes sunt

Arboris  
angeli-  
calis  
partes  
sunt.



## DE ARBORE ÆVITERNALI.

OMNIA quæ ad æternam beatitudinem vel damnationem pertinent, in arbore ista explicantur; quæ ab Hominibus vel Angelis nata sunt acquiri.

Arboris  
æviter-  
nalis  
partes  
sunt

Radices, sunt merita vel demerita, quæ per generalia principia sunt acquisita; huius itaque arboris radices proximiores sunt merita vel demerita; remotiores verò principia generalia.

Truncus, est duratio meritorum ac demeritorum.

Branchæ, sunt Paradisus & infernus; ad quæ loca lymbus puerorum vel Patrum nec non & Purgatorium reducuntur.

Rami, sunt duo, qui exeunt à duabus branchis; primus à prima exiens triplex est, scil. Iustitiæ, Gratiæ & Retributionis gloriosæ; sed secundus à secunda manans duplex est, videlicet Iustitiæ, & Passionum.

Folia, sunt nouem accidentia.

Flores, sunt actus gloriosi, vel condemnationis & supplicij.

Fructus, sunt complementa vel consumationes finium.

## DE ARBORE MATERNALI.

OMNIA quæ sunt de huius arboris consideratione, spectant ad GLORIOSISSIMAM & SANCTISSIMAM DEI HOMINISQUE MATREM, VIRGINEM MARIAM, quæ Mundo peperit Mundi Salvatorem.

Arboris  
mater-  
nalis  
partes  
sunt

Radices, sunt fines hominum recreatorum, quatenus à generalioribus principijs sunt informatæ ac ornatae.

Truncus, est habitus quidam generalis, ratione cuius VIRGO MARIA dicitur refugium esse peccatorum.

Branchæ, sunt duæ naturæ, videlicet diuina & humana, quæ illud diuinum suppositum constituerunt, cuius VIRGO mater fuit, Virgine permanente.

Rami, sunt Spes, Pietas, Aduocatio, Humilitas, & Virginitas.

Flores, sunt actus dignitatum MATRIS DEI.

Fructus, est JESUS CHRITUS, cuius cruore, à morte liberati sumus.



## DE ARBORE CHRISTIANALI.

IN ista arbore ea considerari debent, quæ ad incarnatum diuinum Verbum spectant: cuius arboris duæ sunt partes principales, scil. Diuina & humana, sicuti & in Christo duæ sunt naturæ; & secundum utramq; est examinanda; ratione humanitatis, partes omnes arboris sunt Elementales, Vegetantes, Sensitiuæ, Imaginatiuæ & Rationales; ratione verò Deitatis, partes proportionem quadam sunt sumendæ.

Arboris  
Christi-  
analis  
partes  
sunt

Radices, sunt generalia principia diuina & humana.

Truncus, est Iesus Christus; qui truncus vnus est ratione hypostasis, sed duplex ratione naturarum.

Brachæ, sunt duæ, videlicet natura diuina & humana

Rami, sunt respectus, quos istæ duæ naturæ habent, in quantum vna alteram respicit.

Folia, sunt accidentia generalia respectu humanitatis, sed respectu Deitatis sunt nouem categoriæ, de quibus in prima parte tractatum est.

Flores, sunt actus & operationes radicum.

Fructus huius arboris, est Recreatio, Exaltatio, Manifestatio & Deificatio.

## DE ARBORE DIVINALI.

HÆC vltima arbor illa omnia continet, quæ de Deo verificari possunt, siue essentialia sint, vel notionalia,

Radices, sunt Dei dignitates, scil. principia generalia, remota Contrarietate ac Minoritate.

Truncus est Deus vel Diuina essentia, pelagus existens diuinarum omnium perfectionum.

Branchæ, sunt personales proprietates in esse personas constituentes, videlicet paternitas, Filiatio & spiratio passiuæ.

Rami, sunt duo scil. Diuina generatio & spiratio.

Folia sunt accidentium negationes. Loco tamē foliorum, pro posituius sunt assignandæ nouæ categoriæ, quæ possunt Deo conuenire, omni remota imperfectione.

Flores, sunt probationes à radicibus vel dignitatibus desumptæ, quib. diuinæ productiones probantur.

Fructus, sunt in duplici differentia, quoniam quidam interiores sunt, quidam verò exteriores; fructus interiores illos appellamus, qui ex actibus diuinarum dignitatum naturaliter oriuntur; exteriores verò sunt creaturæ, quas Deus ob Bonitatem, Magnitudinem, potestatem &c. producit liberè & cōtingenter.

Arboris  
Diuina  
lis par-  
tes sunt



*Explicatur  
ordo in hac  
tertia parte  
seruandus.*

**P**OST arborum omnium breuem descriptionem, restat vt fu-  
sius earundem naturam quo ad singulas partes aperiamus;  
quod fiet in hac tertia parte huius principalioris partis, & hunc  
ordinem seruabimus. Primo cuiuslibet arboris partes explica-  
bimus. & secundo, formas arbori conuenientes numerabimus.

### DE ARBORE ELEMENTALI.

*Ordinem do-  
ctrinae, Lul-  
lus seruauit.*

**O**RDINEM doctrinae Lullus seruauit, incipiendo ab arbore  
elementali, in tradendo doctrinam de arboribus. In hac et-  
enim ea considerantur, quae sensibus magis sunt subiecta atque  
magis composita, & per consequens, magis à nobis secundum  
hunc naturae statum cognoscibilia: cum omnis nostra cognitio  
ortum habeat à sensibus. Licet quoque aliae sint arbores de sen-  
sibilibus tractantes, vt satis patet; ab ijs tamen quae sub elemen-  
tali continentur est exordiendum, cum secundum se tota sint  
sensibilia; quod de reliquis aliarum arborum non est admodum  
manifestum, quia ratione vitae quam participant, spiritualiora  
sunt.

### DE RADICIBVS.

**A** Radicibus incepturi, tanquam ab illis per quas arbores  
existunt, non est opus multa expendere, cum ex ijs quae  
in prima parte dicta sunt, satis earum natura sit manifesta.

*Observandū.  
Radices à  
subiectis de-  
terminantur.*

Hoc solum est animaduertendum, quod ratione determinati  
subiecti, radices pariter quae natura sua sunt transcendēdissimae,  
determinatae fiunt, quando tali subiecto in ratione essendi vel  
cognoscendi applicantur; hinc est, quod applicatae istae radices  
trunco arboris elementalis, elementales fiunt; & trunco vege-  
talis, vegetantes: idem intelligendo de truncis aliarum arborum.  
Et hanc applicationem per truncos manifestauimus, quia po-  
tentialiter caeteras arborum partes continent. Nec ignorare  
id oportet, quod supra tetigimus; videlicet à formis etiam ra-  
dices specificari & determinari; ideo quando considerantur  
arboribus tradere esse, necessarium est illas considerare à for-  
mis prius vario modo informatas & perfectas: ex quarum per-  
fectione arborum partibus inest quoque perfectio. De radicibus  
pauca admodum in sequentibus dicemus, quia prolixitatem  
& inutiles eiusdem rei repetitiones vitare intendimus. Haec  
igitur quae de ijs diximus observa, & pura mente contemplare.

*Determinā-  
tur quoque à  
formis.*

### DE TRUNCO.

*Nota omnis  
optimè.*

**T**RUNCUS huius arboris est quoddam vniuersale corpus,  
in quo potentialiter omnia corpora, quae tantum habent  
esse



esse continentur. Huius corporis generalitas à radicibus generalibus causatur, quatenus ex ipsis, in actu & potentia consideratis, materia quædam & forma, tale corpus constituentes, resultant. Corpus hoc Luna concavum attingit, atq; omnem locum replet, ne vacuū quod natura maxime abhorret, inveniatur. Eius dimensiones poteris investigare per ea quæ in 14. 15. & 16. formis supra in prima parte sunt dicta. Neq; in hoc universali corpore corpora tantum continentur, sed etiam accidentia corporalia, quibus propriæ radices respondent: nam substantiarum, radices sunt substantiales, & accidentium, accidentales. Virtute primi Opificis elementa simplicia ac composita ab hoc corpore sunt congregata, ex quibus elementata omnia sunt constituta, sed potestate naturalium agentium quotidie fiunt elementorum ac elementatorum transmutationes, ut experientia docet.

### DE BRANCHIS.

BRANCHÆ huius arboris sunt quatuor elementa simplicia, ex quibus mixta omnia secundario componuntur; & hæc sunt scilicet Ignis, Aër, Aqua & terra, de quibus infra multa dicemus; & idè sunt quatuor ut differentia concordantiq; in eis optime inveniatur, ut statim manifestabitur. Inquit Lullus. Hæc elementa principales figuras obtinere, quæ in elementatis apparent; sicuti est figura quadrangularis, circularis & triangularis. In ipsis utiq; prior figura inuenitur, quatenus quatuor concordantiis vel convenientiis consistere dicuntur; quarum quælibet, linea nominatur; ex quibus una coniunctis quadrangularis figura resultat. Est etenim linea recta prima de igne ad aërem, per caloris concordantiam; secunda de aëre exit, & ad aquam usq; protenditur, ratione conformitatis in humiditate; tertia incipit ab aqua & ad terram usq; tendit; & nihil aliud est quam convenientia frigiditatis: quarta verò & ultima principium suum à terra trahit, & ad ignem terminatur, quatenus hæc duo elementa in siccitate conveniunt. Circularis figura in istis quatuor elementis apparet quia ignis elementum, in aërem tendit, sed obliquè, comunicando ei non totam suam caliditatem, sed aëri compossibile; & aër in aqua, eodem modo inuenitur, quoniam compossibilem aquæ humiditatem aër largitur; aqua in terra, ratione obliquè frigiditatis; & demum terra in igne existit quatenus partem suæ siccitatis ei donat. Triangularis figura in elementis inuenitur, propter symbolum quod habet elementum quodlibet ad duo, & repugnantiam quæ inter illa duo reperitur; ratione symboli unius ad duo, duæ oriuntur lineæ & ratione oppositionis duorum inter se, altera linea habetur, quæ cum duabus prioribus

*In elementis  
circularis figura  
quadrangularis  
& triangularis in  
veniuntur.*



*Consuetudo  
& oppositio  
in elementis  
ostenditur.*

lib. triangulū efficit, quæ omnia ad oculū sic esse manifestantur. Per A ignē intellige, per B Aerem, per C Aquā, & per D Terram. A symbolizat caliditate cum B & siccitate cum D, sed D & B utraque qualitate opponuntur.

B symbolizat caliditate cum A & humiditate cum C, sed C & A omnino repugnant.

C symbolizat humiditate cum B & frigiditate cum D, sed D & B sunt repugnantia.

D symbolizat frigiditate cum C, & siccitate cum A, sed A & C totaliter repugnant.

Ex dictis non obscure patet, elementa 4 tantum debere esse. Si plura essent vel pauciora, sanè in illis nō reperiretur vera oppositio & concordantia, ut reperitur; quod & Arist: pluribus in locis affirmat; sed præcipue in li: 2. de Gen: & Corr: tex. 121. ubi assignat sex elementorum conjugationes, quarum quatuor possibili sunt, & dux impossibilis; possibile à quatuor terminis suum habent esse, qui qualitates primæ dicuntur, quatuor elementis innatæ; impossibiles verò conjugationes non admittuntur. Ex natura quoque contrariorum numerus elementorū quaternarius posset investigari, quemadmodū & Arist: inuestigat, quando inquit. Amplius si terra est, ignē etiam esse necesse est.

Idem pariter ratione motuum simplicium potest comprobari, qui 4 sunt (loquendo de motibus rectis) quatuorque elementis conveniunt: ratione etiam qualitatū secundarum, quæ primas insequuntur. Sed hæc omnia libèter omittimus, cum Arist: intentionem nequaquam simus explicaturi. Cum Lullo autē dicimus, per has quatuor branca elementata omnia existere, nec posse aliquod mixtum dari, in quo elementa hæc non reperiantur. Qualiter autē debeat intelligi, in mixto elementa esse; unicuique quod sibi magis placet, credendum relinquo; mihi tamen magis Scoti sententia arridet; qui vult elementa nō esse in mixto formaliter, sed virtute; quatenus mixtū habet cum elementis omnib. vel aliquibus, quoad qualitates primas convenientiā & conformitatem. Cui sententiæ, tota ferè medicorum schola refragatur. & quorundam etiam philosophorum; sed potissimū quidam Chيميци idem satis audacter asserunt, & stultitiis suis existimant virtute ignis posse elementa in mixto cōtenta, segregare, atque ad oculum hoc ostendere; sed decipiunt & decipiuntur. De elementorum figuris, & eorundem numero satis loquuti sumus, sed de illorum situ restat ut nonnulla dicamus.

*Aristotelis.*

*Elementa esse quatuor ostenditur. in 2. Cali tex. 18*

*in 2. sententiæ: dist: 15.*

*Laus Chيميци starum.*

## DE ELEMENTO IGNIS.

IGNIS, cui in summo gradu caliditas inest, & in remisso siccitas, tanquam præstantissimum elementum, in supremo loco

corpore.



corporibus aliqua ex parte corruptibilibus cōuenienti, constitutus est; qui ratione suę perfectiōnis, cętera elementa continet ac terminat; hinc iudicare meritō dici potest forma reliquorū elementorum. Talem quoq; locum possidet, ratione maximę leuitatis, raritatis ac puritatis, quib. conuenit ea corpora sursum elevare, in quibus reperiuntur. Ignis raritas est maxima, cum decuplo aëre sit rarior; & ob tantam raritatē ab oculo nostro videri non potest, cum nec aër decuplo densior possit intueri. Nec valet argumentari ab igne quo vtimur, quia corpus opacum est & minimē transparens; ille autem omni ex parte diaphanus & perspicuus, & nisi talis esset sed opacus, perpetuō priuari essemus stellarū claritate, cum vndiq; circundet totā aëris spherā.

*mo loco.**Raritas ignis maxima, si fuerit ne videretur.*

## DE ELEMENTO AERIS.

POST ignem statim aër sequitur, qui raritate & diaphaneitate igni est similior cęteris elementis; vnde & caliditatem, quā in remisso gradu obtinet, ab igne accipit, humiditatem vero in summo gradu sibi vindicat à natura. Partitur tota aëris spherā in tres regiones, quarum superior inferiorq; calidæ sunt, media autem frigidissima. Superior duplici de causa est calida scilicet ratione vicinitatis ad ignem, & motus quo ad motum spheræ ignis mouetur. Inferior verò caliditate fruitur, propter radios solis à terra reflexionē. Media autem, quia ab igne est remotissima, & solares radii eò vsq; pvenire nō possunt, frigida est.

*Aëris qualitates.**Aëris partitio.*

## DE ELEMENTO AQUAE.

AERI aqua succedit, quoniā est terra purior minusq; de materia habens; quod satis notum relinquitur ex eius naturali flexibilitate atq; participatione aliqua diaphaneitatis. Ab aëre habet humiditatem, sed à natura frigiditatem summam. Hęc natura sua totam terram deberet occupare, sicuti in suę creationis principio opertam tenebat, sed iussu omnipotentis Dei factam est, quod pro salute viuentium quædā sit terræ pars, aquis discooperta; ob id in Prou. habetur. Quando circumdabat mari terminum suum, & legē ponebat aquis, ne transirent fines suos. Non defuerunt quidam qui rationibus naturalibus probarant, aquam vndiq; terram non occupare debere, quas adducere recusamus, cum verius sit scripturæ testimonium, quàm omnia quæ lumine naturalis intellectus inuestigari possunt. Neq; ulla est aquæ violentia illata, cum à conditore suo, ad cuius nutum debet obedire, taliter sit disposita,

*Aqua qualitates.**Proverb. 8.**Nulla violentia aquæ est.*



**TERRA** quia admodum est opaca & crassa, multumq; de materia habens, sed pauca quantitate terminata; in loco omnium infimo est constituta, quæ naturali sua conditione rotunda fuit, tamen ob viuentium & mixtorum utilitatem, Dei virtute, non vnde quaq; rotunda modo existit. Nisi essent quædam terræ partes eleuatae magis, & quædam depressæ, sanè nec metallorū, nec fontium, neq; segetum utilitate frueremur. Imobilis est, quoniam (quasi) mundi centrum dicitur esse; quæ si moueretur secundum se rotam, nequaquam sic posset appellari. Habet à natura summam siccitatem, sed frigiditatem ab aqua recipit. Hæc pauca de elementis dicere non recusauimus, ad clariorem noticiam dictorum dicendorumque consequendam.

*Terra natura sua fuit rotunda.*

*Terra quare immobilis.*

*Terra qualitates.*

DE RAMIS.

**RAMI** sunt quatuor elementa composita, in quibus non minus simplicia elementa existunt, quam in mixtis; sed à maximo alicuius simplicis elementi prædominio, taliter sunt specificata, quod videntur à mixtis longè diuersa; licet reuera non ita sit; quod potest hac ratione comprobari. Hæc quæ videntur elementa, nullā habent in summo gradu qualitatem quod simplicibus vt proprium inest: neq; à qualitatibus sensibilibus sunt aliena, sicuti elementa pura; habent enim elementa ista impura odorem, colorem & saporem aliquem, purum verò elementum nequaquam. Quot autem sint hæc corpora, pro ramis à Lullo ordinata, licet omnibus sit manifestum, numerare tamen ea placet, vt Lullum insequamur. Primum, est ignis, quem videmus & quo vtimur, ac qui continuò pabulo eget vt cōseruetur. Secundum, est aër, in quo viuimus; cuius proprium est sensibilem species, in ratione mediij, ad sensus nostros deferre. Tertium, est aqua, in mari, fontibus, fluminibus, aliisque similibus vasis existens, quæ in omnibus iis locis non est equalis puritatis, ob maiorem vel minorem vaporū aut exhalationum, admixtionē. Quartum, est terra, quæ nobis est sustentamento, diuersa in se continens: vt metalla, & omnis generis lapides. Locus vel situs istorum eo modo potest indagari, quo à simplicibus ostensum est. Nec de istis est inanis consideratio, quia nec in rerum natura sunt superflua. Si hæc non essent, nullum mixti genus esset aut vivere posset: & ob id Ray: ea pro ramis ordinauit, sine quibus folia, flores & fructus esse nequeunt: quemadmodum nec rami sine branchis, branchæ sine trunco, nec etiam truncus absque radicibus.

*Quare elementa composita mixta non esse videantur.*

*Enumerantur elementa composita.*




DE FOLIIS.

ERAT nostra intentio nullā mentionem facere de foliis, quæ accidentia sunt, quia philosophiæ imbutis satis sunt nota; ne tamen aliquid in hoc opere desideretur, quod utilitatē præstare possit, quemadmodum est accidentium cognitio; volumus à propria sententiā deflectere, & aliorum utilitati consulere: breuiter tamen explicando naturam horum accidentium.

DE QUANTITATE.

LICET quantitas possit eo modo considerari, quo supra nos in Categoriis eam considerauimus, nihilominus in corporeis substantiis, ab illa, alia reperitur, quæ in continuam & discretā partitur. Continua est, cuius partes vnâ coniunguntur per aliquem communem terminum; & hæc duplex est scil. permanens & successiua; permanens, cuius partes quas habet sunt simul; successiua autem, cuius partes non sunt simul; quod debet in vtraq; quantitatis definitione intelligi, nō de partibus essentialibus, sed tantum integrantibus & quantitatis. Discreta est cuius partes vnâ per terminū aliquem communem non coniunguntur. Quæ ut captu faciliora sint, in modū arboris dispositas

*Quantitas continua permanens & successiua quid. Discreta quantitas.*



*Propriū quæ sitis.*


Quantitas est proprium, vt secundum ipsam res æquales vel inæquales dicantur.



*Omnis qualitas non denominat subiectum quare.*

*In 4. Sententiarum dist. 4. quæst. 10.*

**P**ER qualitatem res quales dicuntur; ut per iusticiam hominẽ inhaerentẽ, homo iustus dicitur, & per albedinem albus. Nec qualitas omnis denominat subiectum in quo est, nisi in eo sit intẽsa; hinc est quod aqua tepida neq; calida neq; frigida potest simpliciter nominari; requiritur quoq; quod in toto corpore, si corporalis est, sit extensa; vnde homo secũdum vnguem niger, non potest simpliciter niger nominari. Huius qualitatis generaliter acceptæ 4. sunt modi (ut Scotus vult modos esse, & non species) quos in sequenti figura poteris videre.



*Qualiter accipitur figura.*

*In 5. Meta. ca. pte de Qua.*

Marsilius & quidam alij, istis quatuor modis quintum addunt, & in hoc, secundum istorum sententiam, compositorum formæ substantiales reponuntur; qui modus superfluous est, cũ formæ substantiales sint substantiæ; verum tamen est quod ea ratione qua ab ipsis subiecta denominantur, possunt largè qualitates vocari; secundum etiam Aristot. sententiam. Proprium est quarundam qualitatum scilicet primarum, veram contrarietatem suscipere, aliarum autem nequaquam, nisi contrarietatem largè accipias. Secundum qualitatem res dicuntur similes vel dissimiles.

### DE RELATIVIS.


*Duo sunt accidentia abso-*

**D**UO absolutivus accidentia absoluta, non sumendo absolutum pro illa re quæ per se existit, quia hoc modo nequaquam



quam sunt absoluta, sed vt distinguitur contra respectiuum; modo de respectiuo est considerandum. Respectiuum sic definitur. Respectiuum est, quod ad aliud refertur, vt Pater, Filius, Dominus & seruus. Nec ignorare oportet, duo esse respectiuorum principaliora genera, quorum primum eorum est, quæ, secundum dici, nominantur; alterum autem, secundum esse, dicuntur. Priora, prius absolutum, & postea respectum significant; posteriora verò e conuerso, illa ad omnia entia latissime se diffundunt, hæc verò arctiori vinculo sunt ligata. Relatiua etiam quædam dicuntur intrinsecus aduenientia, & quædam extrinsecus aduenientia; vocantur illa, relatiua intrinsecus aduenientia, quæ posita quacunque distantia, suum esse nihilominus consequuntur, dummodo fundamentum & terminus ponantur; extrinsecus verò aduenientia, præter hæc, conuenientem approximationem fundamenti ac termini requirunt.

*luta quomodo sit intelligendum. Respectiuæ definitio. Respectiuæ secundum esse & secundum dici quid.*



Propria relatiuorum sunt, vt mutuo se respiciant, vel quod ad conuertentiam de seipsis prædicentur; quod sint simul natura in naturali intelligentia; & quod vno posito, alteram ponatur, & destructo, destruat. Non me latet, materiam hanc esse admodum difficilem, pluraque exoptulare; hæc tamen pro conpendio sufficient.

*Propria relatiuorum, assignantur.*

### DE ACTIONE.

ACTIO non debet considerari pro forma actus, vel materialiter, sed formaliter & pro respectu; & nihil aliud est quam respectus quidam, quo agens refertur ad passum. Proprium est actionis, vt sit ratio qua passio inferatur.

*Qualiter actio sit consideranda.*

### DE PASSIONE.

EX dictis his immediate supra, satis erit passionis natura manifesta; definitur tamen sic. Passio est respectus patientis ad agens. Proprium est huius, vt inferatur ab actione.



## DE POSITIONE VEL SITV.

*Positio ab  
ubi differt.*

**P**OSITIO, est ordo partium alicuius totius ad ipsum totum, & ad locum; & in hoc positio ab ubi differt, quia ubi signat tantum respectum ad locum, positio autem præter hunc, alium denotat, ut patet.

## DE HABITV.

**H**ABITUS hoc in loco, non accipitur sicuti in primo qualitatis modo accipiebatur; sed pro respectu rei alicuius, ab extrinseco alteri rei adiacens per modum ornatus vel deornatus; siue totum vel partes multas respiciat; ut respectus interulæ ad eum qui ea est indutus; siue minimam partem; ut anuli respectus ad digitum.

## DE VBI VEL LOCO.

*Vbi duplex.*

**V**BI, est respectus loci, si ubi actiuum est, ad rem locatam, vel è contra, si ubi passiuum accipiarur. Duas huius accidentis species assignat Petrus hypanus, quæ nullius sunt momenti.

## DE QUANDO.

**Q**UANDO, est respectus temporis ad rem temporalem; ut respectus huius horæ, ad rem tali tempore existentem, cuius operatio vel motus mensuratur. Duplex quoque potest esse, actiuum videlicet & passiuum, sicut & ubi. Idem de habitu dici posset. Huius accidentis tres assignantur proprietates, quarum cognitio cum non admodum, imò parum vel forsitan nihil proffit, scribere non curauimus. Hæc de folijs omnibus corporeis rebus conuenientibus, dicta sufficiant. Quando igitur de re aliqua materiali tractabitur, poterit Lulli studiosus per hæc accidentia eam satis ornare, poteritque Categorias nostras non solum rei applicare, sed etiam cuicumque horum accidentium.

## DE FLORIBVS.

*Flos qualiter  
accipitur.*

*Dubia Lulli  
sententia de  
floribus.*

*Operatio est*

**A**Ramis folia generantur & flores; de folijs dictum est, sed de floribus à quibus fructus dependent, restat ut nonnulla videamus. Flos hic accipitur pro re illa quæ fructui vel effectui est proximior; & instrumentum dicitur quo res acquirit esse. Per ea quæ Lullus hic docet, non potest de facili dignosci, quid per instrumentum vel flos velit; videtur etenim quod pro instrumento operationem accipiat, & tamen rem ab alio motam quandoque pro eodem considerat. Tu verò breuiter nobiscum

poteris




poteris affirmare; principalius instrumentum operationē esse, *verius in-*  
quia fructus valdè est proxima: sicuti patet discurrenti per omnes *strumentum.*  
motus species; remotum verò illud esse, quod rem disponit, ut  
inde sequatur fructus; sicuti ignis calor, quia calore combusti-  
bile vel calefactibile disponitur, ut formam ignis suscipiat: aliud  
remotissimum datur, quod motum ab alio recipit: & duplex  
est scil. naturale & artificale; naturale ut manus, pes &c. artifi-  
ciale ut sunt illa quibus Mechanic: & alij utuntur. Et omnibus  
ijs modis instrumentum vel flos potest accipi, sed secundum  
Lulli intentum (ut in sequentibus patebit) verius operationes  
flores vel instrumenta dicuntur, quàm cætera quæ numeravi-  
mus. Hoc quoque fidem facit, quia instrumenta duobus vlti-  
mis modis considerata, aut sunt qualitates disponentes, quæ  
cum elementis considerantur; vel sunt elementata, quæ pro  
fructibus accipiuntur.

DE FRUCTIBVS.

FLORIS & complementum radicum, brancharum, ramorum, *Finis totius*  
foliorum & denique florum, fructus sunt; qui per eminentiam *arboris quæ.*  
quandam omnes arboris partes continent, nec vnquam  
partes arboris quiete fruuntur, nisi quando fructus suum esse  
consequuti sunt.


FRUCTUS huius arboris sunt elementa omnia (seclusis elemen-  
tis compositis, quæ pro tamis sunt accepta) quæcunque sint  
illa, siue perfecta, siue imperfecta de quibus in quatuor libris  
Meteororum agit Philosophus. Non est præsentis negotij de  
ijs tractare, sed quæ sint numerabimus saltem, & nonnulla for-  
san de illis dicemus. Duo sunt mixtorum genera, quorum pri-  
mum imperfectorum dicitur; quoniam teste Aristot. in primo  
Meteororum, secundum naturam minus ordinatiorem fiunt, *Duo mixtorum*  
quàm reliqua corpora; vel quia subito miscentur ac generantur. *genera quæ*  
Et sub hoc mixtorum genere meteorica omnis impressio *sunt & quid.*  
continetur, ut liquet videre ex sequenti arbore. Alterum mix-  
torum genus perfectum est, sub quo illa omnia compræhen-  
duantur, quæ in terræ visceribus generantur; quæ sunt difficilis  
mixtionis, generationis, ac corruptionis; de quibus Aristot.  
tractat in 4. lib. Meteororum, & sunt lapides, metalla, sales &  
similia. Ab imperfectis auspiciaturi; quæ & via generatio-  
nis perfectiora præcedunt, hanc impressionum  
omnium adnotauimus diuisionem; ut fa-  
cilis quæ sint, cognoscatur.





Quaedam





Quædam de impressionibus istis dicere placet, pro studiosorum commoditate; exactè tamen non omnia tractabimus, ne videamur potius cum Arist. philosophari, quàm cum Lullo, de sciendi admirabili artificio differere. Et prius de impressionibus ex vapore genitis erit nostra consideratio, & deinde, de illis quæ sine vapore fiunt. Sed antequam ad pertractandum de vnaquaque veniamus, aliqua sunt præmittenda, ex quorum cognitione, quæ dicentur notiora fiunt. Cum omnium impressionum materia, sint vapores; qui solis virtute, cæterorumq; astrorum à terra & aqua eleuantur; ideo horum discrimen necessarium est cognoscere, vt pariter differentia inter varias impressiones cognoscatur. Triplex igitur vapor reperitur, quidam à terra eleuatus siccus & calidus; siccus, quoniam hac proprietate fruitur terra, sed calidus per accidens, quatenus est à terra non sua natura calida, sed violenter calefacta; alter pariter est à terra, qui frigidus & siccus, quemadmodum & terra; vltimus verò est humidus & frigidus, quia ab humida & frigida aqua eleuatur; nec plures sunt, quoniam & duo tantum sunt elementa vaporabilia. Ignis vaporabilis non est, quia secundum omnes suas partes æqualiter subtilitatem & raritatem possidet, neque aër, quia licet sit humidus, partesque habeat crassas

*Materia impressionum.*

*Triplex vapor.*

*Elementa vaporabilia.*



crassas ac subtiles, tamen per euaporationem à crassis subtiles seiungi minimè possunt, quia omni vapore sunt subtiliores. His notatis, restat vt de singulis impressionibus aliquid tractemus.

### DE COMETA.

*Ex quo Cometa fiat.  
Qualiter generetur.*

*Diuersa apparitiones Cometa.*

*Quid Cometa significet.*

**EX** sicco vapore & calido terrestri ac crasso Cometa generatur, cuius partes ratione pinguedinis ac viscositatis, vnà sunt optimè cohærentes. Huiusmodi Cometa sic generatur. Vapor ille ex quo generatur, ratione caliditatis ac siccitatis, de facili supremam aëris regionem cōscendit (eo potissimum tempore, quo Solis calor non est admodum intensus, sicuti in æstate) vbi cum aëre ad motum ignis mouetur; & ratione motus ac intensissimi ignis caloris inflammatur, nec consumitur ob suam crassitiem; tum quia continuè nutritur à vaporibus eiusdem naturæ, ex quibus genita est; qui solis virtute eleuantur. Apparet aliquando in modum crinitæ stellæ; quando ratione caloris, cuius proprium est dispergere & dilatare, partes non vnà admodum compactæ, si circumquaq; tales reperiantur dispergit; & tunc crinita vel comata vocatur. Si verò partes illæ dispersæ, ex vna tantum parte procedant, nec longissimè protendantur; dicitur tunc barbata; sed si longius, caudata; & in hunc modum frequenter solet apparere. Est signum Cometa maximarum commotionum, famis, pestis, ventorū, terræ motuum ac tempestatum in mari; quia eo tempore maximus calor dominatur, qui horum omnium causa est.

### DE ALIIS IMPRESSIONIBVS, IN Suprema aëris Sphæra genitis.

*Stella alba quid?  
Quid rubea.*

*Carbo vel cæli foramē.  
Stipula.  
Columna pyramidalis.  
Lancea.*

**IDEM** vapor calidus & siccus inflammatus, ac secundum diuersas figuras dispositus, varia sortitur nomina. Aliquando vapor non est valde densus, & ab igne secundum omnes partes suas subtiliatur & inflammatur; & tunc vocatur stella alba. Aliquando est tam densus, quod non potest optimè inflammari, licet formam ignis retineat; & nominatur rubea stella. Quandoque tam est crassus, quod nec accenditur, nec minus inflammatur; imò ignem sibi proximum extinguit; & vocatur carbo vel cæli foramen. Quandoque vapor tam est subtilis, quod appropinquans sphærae ignis statim destruitur; & dicitur stipula; quæ tamen non apparet. Si vapor ille siccus longitudinem ac latitudinem habeat, partemque inferiorem latiorems appellabitur columna pyramidalis. Si secundum partes omnes subtilis & tenuis erit ac longus; poterit vocari lancea ardens.



Si autem talis vapor erit dispersus; tunc vocabitur candela ardens. Si denique admodum compactus exister, nec longus multum; titio vel A sub nominari poterit.

*Candela.  
Titio vel A  
sub.*

*DE IMPRESSIONIBVS, QVAE IN  
media aëris Sphæra apparent.*

**A**CCIDIT interdum, quod vapor siccus inflammatus magis est, secundum longitudinem quam latitudinem; nec partes sunt benè unitæ, & tunc dicitur Capra saltans. Si verò à frigore impellatur moueaturq; ad latus, tunc est sydus volans. Quando vapor est multus & diu retinet inflammationem, longæ quidem figuræ sed obliquæ, tunc Draco tortuosus iure merito appellatur.

*Quid capra  
saltans, sydus  
volans, &  
Draco, vide.*

*DE IMPRESSIONIBVS, QVAE IN  
infima aëris Sphæra gignuntur.*

**T**ERRESTRIS vapor & calidus, qui tempore æstatis à terra eleuatur, accenditque ad infimam aëris regionem; si citò inflammatur ac in maxima sit quantitate, vocatur domus ardens: Si non est multus, tunc apparet vt cereus ardens; qui multoties videtur in mortuorū cœniteriis, & in locis vbi sunt patibula, & in auribus equorum valde ambulantium; quia ex ijs vapor exit cum maxima viscositate, & ratione motus de facili inflammatur.

*Domus ar-  
dens & ce-  
reus quidè*

*DE IMPRESSIONIBVS HVMI-  
dis, in aëre genitis.*

**D**ICTURI de humidis impressionibus, quæ in aëre generantur, à Rose exordium sumemus, quia ex illis est, quæ ex frigido ac humido, sed subtili vapore generantur. Locus vbi generatur, debet esse aër temperatè calidus & frigidus, nè ob nimiam caliditatem vel frigiditatem vapores condensentur & coagulentur; hinc est, quod neque in æstate, nec minus in hyeme generatur, sed in verè & autumno, vbi sol in signis æquinoctialibus existit. Albertus Magnus asserit, quod generetur in suprema parte mediæ regionis aëris, Commentator verò, in infima regione; vtraq; sententia est probabilis: elige igitur quod tibi magis aridet. Huiusmodi vapor modicus & subtilis, ex quo Ros generatur, est apta materia ad generationem Pruinæ; sed requiritur intensa & acuta frigiditas, ad hoc vt congeletur, priusquam in aquam resoluatur. Generatur in suprema parte

*Conditio lo-  
ci, vbi Ros  
generari de-  
bet,*

*Albertus  
Magnus &  
Com. aduer-  
santur.  
Ex quo Prui-  
na generetur  
& vbi*

infimæ



infimæ regionis aëreæ, quæ ob proximitatem ad mediam regionem, est intense frigida.

*De Melle.*

Mel ex humido vapore ac subtili generatur, cui est admixta aërea humiditas: & ob temperiem nocturnæ frigiditatis, agente calore, disponitur aërea humiditas sic quod sit viscosa, fluxibilitatem tamen retinet: & tunc habetur mel, quod apes à folijs, floribus ac herbis, utilitate non ra ce edicant.

*De Manna.*

Quia Rori aliquid terrestræ siccitatis, sed subtilis, admiscetur cum humido; adeo si utentissimus calor agendo in Rorem disperdat ac destituit humidum, tunc Manna habetur; quæ cadens super folia & herbas ad instar farinæ, ratione siccitatis exsiccat, & (quasi) comburit.

*De Nube.*

Nubes, ex quibus niues, pluuiz &c. generantur, ex humido & crasso vapore fiunt; quando eleuatus ad mediam aeris regionem, ex loci frigiditate intensa condensatur, nec in aquam resoluitur aut congelatur,

*De Niue.*

Ex nube utique generatur Nix, sicuti & Pluuia ac etiam grando; sed nubes ex qua Nix fit, debet esse humida & calida intense, multumque de aere habens; quæ in media aeris regione extensa manens, à nimia frigiditate condensetur, antequam in aquam fiat resolutio. Ideo Nix est alba, quia nubes ex qua generatur, ratione aeris admixti atque raritatis est diaphana & luminis receptiua; & quatenus condensatur, fit eius calor receptiua, qui magis de luce participat; veluti est albedo.

*De niuis albedine.*

*De pluuia generatione.*

Ex nube quoque generatur pluuia; verum quod in alia est constitutione quando nix generatur: nam nubes ad pluiam apta, debet esse obscura & condensata; quæ pro niuis generatione non requiruntur. In aquæ generatione necessarium est, ut frigiditas mediæ regionis aëreæ (quo in loco ut in plurimum generatur) à circumstante caliditate in nubem impellatur; qua impulsæ nubis partes condensantur, & in aquam resoluuntur; quæ guttatim descendit. Secundum guttarum quantitatem minimam vel maximam, aqua varia nomina sortitur; si guttæ parvæ fuerint, imber nominatur; si verò magnæ & rariiores, labrocera.

*Quid imber & labrocera.*

*De Grādine.*

Grando ex nube generatur, cuius vapor est humidus & calidissimus. Hæc nubes quando est in aquam conuersa, ab immodica mediæ aeris regionis frigiditate, superueniente etiam actione antiparistica, statim congelatur, qua facta congelatione, grando habetur. Granelula verò nihil aliud est quàm

*Granelula quid.*

nix glomerata; & ad hanc formam reducitur à calido vernali, quando nix infimam aeris regionem penetrare contendit.



*DE IMPRESSIONIBVS HVMI-  
dis genitis in Terra.*

**F**ONTIUM generatio, fluuiorū & lacuum, ex triplici causa potest oriri; Primò ex aere qui ingressus per poros terræ ab eiusdem frigiditate condensatur, ac in aquam resoluitur; conseruaturq; in terræ concauitatibus, quoad vsque plenæ sunt, quæ postea redandant: Secundò aliquorum fontium, fluuiorum & lacuum, quæ pluuiiales sunt causæ; quæ per superficiem terræ decurrentes, ad ima tendunt, generantq; fontes; & ex fontibus flumina vel lacus exeunt: Tertiò à mari dicuntur oriri, quatenus per secretas terræ partes fluens, varias concauitates replet; ex quibus supradicta generantur. Non me lateet circa hanc materiam multa posse oriri dubia, quæ mouere nequaquam præsumo, ne in immensum hoc opus crescat. Qui multa de ijs cupit scire, legat Albertum Magnum.

*De fontium  
fluuiorum  
& lacuum  
generatione.*

*DE IMPRESSIONIBVS GENITIS  
ex vapore sicco terrestri & frigido.*

**E**X vapore sicco, frigido, & subtili, venti generantur, & hoc pacto. Vapor iste ascendit ad mediam aeris regionem; cuius frigiditate vapor condensatur ac mouetur: quo moto, aerem impellit, & sic venti causantur. Varia sortiuntur nomina à regionibus vnde flant. Terræ motus ex vapore sicco, frigido, sed crasso generatur; nam vapor iste, solis virtute, à terra extrahitur, sed propter eius crassitiem terræque soliditatem egredi nequit; vnde ibi violenter detentus, quærens exitum nec inueniens, fortissimo impetu terræ latera concutit, & sic terræ motus causatur. Signa multa terræ motum manifestantia, possem describere, sed hæc sufficiant, nempe; tumor maris, nullo vento flante; & aquarum in fundis perturbatio.

*De Ventis &  
terra motus.*

*Signa futuræ  
terra motus.*

*DE IMPRESSIONIBVS GENITIS EX  
vapore sicco terrestri, incluso in humido  
vapore.*

**E**X vapore sicco terrestri incluso in vapore humido, aliquæ generantur impressiones, de quib. breuiter nonnulla tangemus; & primò de fulgure, vel corruscatione. Fulgur sic cauitur. Quando Solis virtute cæterorumq; astrorum à terra & aqua vapores eleuantur; siccus terrestri à terra, & humidus ab aqua; tunc ad mediam aeris regionem deueniunt, quo in loco humidus à frigore condensatur, & tanquam pellis quædam

*Fulguris vel  
corruscations  
generatio.*

valde



valdè extensa, siccum vaporem & terrestrem circumdat: ex condensatione verò humidi vaporis, iustus existens valde agitur, & ex illa forti agitatione vapor inflammatur, illa q̄; inflammatio fulgur vel coruscatio dicitur. Tonitruum verò ab illa agitatione sicci vaporis cauatur, l. terra nobis percutiendo; si percussio talis erit, quòd nubes rumpatur, tunc ingentem sonum causabit; si verò nubes remanebit integra, varij soni causabuntur; quos interdum audire solemus. De fulmine pauca sunt dicenda, cum eadem ferè sint fulgur & fulmen; fulgur dicitur, quatenus vapor inflammatur, è nube exit, sed cum splendore, Fulmen verò, pro vt vapor ille nō extinguitur in superiori aëris regione, sed descendens, ad ficia, arbores, & similia percutit. Si vapor ex quo fulmen generatur vel fulgur est admodum terrestris & viscosus; ex agitatione quæ fit in vtero nubis frigida, incenditur & decoquitur, atque speciem gerit lapidis vel luti decocti: qui descendendo corpora quantumuis dura percutit ac euertit. Si vapor eleuatus est mixtus sulphure vel argento viuo; tunc ex decoctione & influxu cœlesti, quandoque in frustum ferri vel chalybis conuertitur. Venti turbinis origo ab aquea nube est, quatenus continet terrestrem vaporem; ex nubis fræctione vapor ille tendit maximo cum impetu terram versus, & à terra repercussus, secum trahit quæ inuenit.

*Tonitruu generatio.*

*Fulmẽ quid?*

*De vento turbinis.*

## DE IMPRESSIONIBVS GENITIS

*non ex vaporibus, sed ex reflexione Solis vel  
Lunæ aut Stellarum.*

*De Haloue.*

**D**VM aër ventorum impetu non molesteretur, solet aliquando apparere circulus albus, circa solem aut lunam vel stellam; qui Corona Latinè, & Halo græcè nominatur: & generatur sic. Quando humidus vapor iustum eleuatus est, nec tamen attingit mediam aëris regionem, ratione raritatis suæ optimè luminis est susceptiuus, & magis in medio quam in extremitatibus; quia eo in loco est intensior; corpusq̄; lucidum vaporis centrum diametraliter radijs suis illuminans, humiditatem destruit, quæ à centro recedens ad peripheriæ partes cofugit, & hoc pacto fit circulus; qui cum illuminetur, nobis albus apparet, quia nec adhuc vapor in nubem densam est conuersus. Iris generatur ex reflexione radiorum solarum vel alicuius alterius astri, in duplici rotatione & nube densa, ex opposito solis aut alterius astri constitutis; per duplicem rotationem intellige imbrem duplicem, subtiliorem, scil. & crassiorẽ. Quando nubes densa & aquosa cum duplici illa rotatione Soli vel alteri astro è regione opponitur, adeo vt radij obliquè inci-

*De Iride.*



dant in eam, nec penetrare valeant, tunc fit radiorum reflexio, in qua reflexione, corporis luminosi imago (sed imperfectè) repræsentatur: & quia talis repræsentatio fit secundum arcualem figuram, ideò iris nominatur. Colores in Iride causantur varij, ex varietate subiecti, in quo subiectatur. Terrestris enim vapor vel nubes denissima, nigrum colorem præbet; & quantò magis accedit ad terreitatem & densitatem vel recedit, tantò magis color ad nigredinem vel albedinem accedens causatur. Multa essent dicenda tam de pluralitate iridis quàm eius figura arcuali & coloribus, quæ omittimus causa breuitatis. Parahelij, sunt Solis similitudines, quæ causantur ex reflexione radiorum solis in nube aquosa valde densa ac rotunda à latere solis existentes; si plures consimiles nubes à latere solis inveniuntur, & plures parahelij causantur. Ex transitu radiorum Solis in nube non continua: sed perforata, vel in aliquibus partibus: aior, sub sole tamen perpendiculariter existente, solent nobis apparere cordæ & virgæ, diuersis coloribus ornatæ; & ij colores ex transitu radiorum per nubem causantur. Est altera impressio quæ nec in vaporibus subiectitur, neque ex vaporibus constat, & ex Galaxia, quæ sic causatur. In octaua sphaera multæ sunt stellæ, aliquæ visu notabiles, & aliquæ non; quæ cum lucidæ sint, radios emittunt, sed ex minima ad inuicem stellarum illarum distantia radij refråguntur, circulusq; sumè albus causatur, qui ratione rætæ albedinis lacteus dicitur. Hunc circulum Vulgus appellat viam S. Jacobi, qua mortuorum animæ priusquam cœlum conscendant, illuc perueniunt. De Metallis & reliquis, quæ in terra vel terræ visceribus generantur, nil sumus dicturi, vt Alchimistis quod suum est, relinquamus.

*De Parahelis.*

*Galaxia quo modo generatur.*

Satis de elemèntalis arboris fructibus volumus dixisse; nunc ad formas quæ creatis solum conuenire possunt, recurrendū est. Prius tamen formas quas in prima parte explicauius, iterum describere volumus; nonnullas diuisiones aliquib. assignādo, quæ admodum inferuire poterunt pro applicatione earū ad creatas; ibi enim fuerunt consideratæ sub ratione transcendentissima, nec poterant pati has diuisiones, quæ limitatorū sunt.

*Quare forma in parte explicata iterum describatur.*

1. Unitas. {
- Aggregationis
  - Compositi per se.
  - Compositi per accidens.
  - Partium integrantium.
  - Generis generalissimi.
  - Generis subalterni.
  - Speciei specialissimæ.
  - Numeralis.

2. Pluralites tot habet species quòt genera.



2. **Simplici-** { Excludēs compositionem ex materia & forma; & hoc modo accidens est simplex, & materia ac forma & etiam Angeli. Excludens corporum compositionem; & sic elementa sunt simplicia. (tionalis.
3. **Forma** { Excludēs partes integrātes; vt pūctus, Angelus, & Anima rationalis. Excludēs compositionē elemētorū ac qualitātū eorū; vt cœli. Excludens compositionem omnem; sed non componibilitatem; vt differentię vltimæ, ens & modi intrinseci.
4. **Abstractū** { Substantialis, quæ constituit rem in esse simpliciter. accidentalis, quæ tradit esse secundum quid. artificialis quæ est ab artifice. naturalis, quæ à natura. totius, vt humanitas. assistens & non informans, vt Angelus. indiuisibilis, vt Anima rationalis, quæ tamen informat. phisicum, vt animæ segregatio à corpore realiter. metaphisicum, quando res sine aliquo consideratur, sine quo tamen esse non potest. }  
 logicum & triplex est { Substantiale, vt humanitas. accidentale absolutū, vt albedo. respectuum, vt paternitas.
5. **Generatio** { 6. **Concretum** tot habet species, quod abstractum. Simpliciter, quando forma substantialis generatur. secundum quid, quando accidentalis. artificialis, quæ magis factio dicitur. equiuoca, quādo generans & genitū non sunt eiusdē speciei. vniuoca, quando generans & genitum sunt vnius speciei. ordinata, quādo id quod ab agente determinato præconcepitur, casualis vel fortuita, quando aliter fit generatio, quā (euenit ab agente determinatio concipitur. Intellectualis, quæ est ab intellectu & obiecto. potestatis. continentię repletiuā. perfectionis, secundū omnes radices plenitudines possunt sumi
7. **Plenitudo** { Essentialis integralis vniuersalis.
8. **Totalites** { 10. Partialitas tot habet species quot totalitas. 11. Interioritas totuplex est, quotuplex aliquid in alio potest esse; discurre per modos essendi I N. 12. Exterioritas. 13. Statio. 14. Longitudo. 15. Latitudo. 16. Profunditas. 17. Potentia.



17. Potentia { actiua } r alis { Per se.  
 { passiuua logica } per accidens.  
 { passiuua cōtradictio }  
 { obiectiua. } (nis { ad formam substantialem.  
 { ad formam accidentalem.

18. Obiectū { actuale.  
 { potentiale.  
 { adæquatum.  
 { inadæquatum.  
 { materiale.  
 { formale.  
 { primarium.  
 { secundarium.  
 { singulare.  
 { vniuersale.

19. Actus { qui est operatio.  
 { formalis; & est forma.  
 { entitatiuus, quo res extra causam suam existit.

20. Prioritas { perfectionis  
 { originis.  
 { naturæ.  
 { dignitatis.  
 { ordinis.

21. Secundarioritas.

22. Tertioritas.

23. Augmentatio { per iuxta positionē; sic augetur aqua per terræ admixtionē.  
 { per mutationē alicuius, vnius speciei in aliud alterius; &  
 { hoc modo vinum per exiguam aquę mixtionē augetur.  
 { propria; quæ in solis viuentibus reperitur.

24. Dispositio { ad alterationem, est motus localis.  
 { ad augmentationem, est alteratio.  
 { ad generationem., & est augmentatio.  
 { naturalis, quæ est à natura.  
 { artificialis quæ est in aliquo per habitum acquisitum.

25. Proprietas { propria  
 { appropriata.

26. Proportio { communiter dicta, & est comparatio duorum, quatenus in  
 { aliquo prædicato conueniunt.



- |  |  |  |  |         |  |
|--|--|--|--|---------|--|
| <table border="0" style="border-collapse: collapse;"> <tr> <td style="border-right: 1px solid black; padding-right: 5px;">propria &amp; reperitur inter quā</td> <td style="border-left: 1px solid black; padding-left: 5px;">Rationalis, &amp; est inter illa quæ vna cōmuni mensura mensurāntur, vt bicubitum vel tricubitum, quæ cubito mensurantur, &amp; in arithmeti- cis numeri omnes, quia communi mensura .s. vnitare dimentiuntur.</td> </tr> </table> | propria & reperitur inter quā  | Rationalis, & est inter illa quæ vna cōmuni mensura mensurāntur, vt bicubitum vel tricubitum, quæ cubito mensurantur, & in arithmeti- cis numeri omnes, quia communi mensura .s. vnitare dimentiuntur. | <table border="0" style="border-collapse: collapse;"> <tr> <td style="border-right: 1px solid black; padding-right: 5px;">titates</td> <td style="border-left: 1px solid black; padding-left: 5px;">Irrationalis, &amp; est inter illa, quæ vna communi mēsurā nequaquam possunt mensurari. Multæ sunt tām rationalis quām irrationalis quan- titatis species, quæ apud Mathe- maticos possunt videri.</td> </tr> </table> | titates | Irrationalis, & est inter illa, quæ vna communi mēsurā nequaquam possunt mensurari. Multæ sunt tām rationalis quām irrationalis quan- titatis species, quæ apud Mathe- maticos possunt videri. |
| propria & reperitur inter quā  | Rationalis, & est inter illa quæ vna cōmuni mensura mensurāntur, vt bicubitum vel tricubitum, quæ cubito mensurantur, & in arithmeti- cis numeri omnes, quia communi mensura .s. vnitare dimentiuntur. |  |  |         |  |
| titates  | Irrationalis, & est inter illa, quæ vna communi mēsurā nequaquam possunt mensurari. Multæ sunt tām rationalis quām irrationalis quan- titatis species, quæ apud Mathe- maticos possunt videri.         |  |  |         |  |
- 
- |  |              |            |  |              |  |              |           |  |           |
|--|--------------|------------|--|--------------|--|--------------|-----------|--|-----------|
| <table border="0" style="border-collapse: collapse;"> <tr> <td style="border-right: 1px solid black; padding-right: 5px;">27. Conditio</td> <td style="border-left: 1px solid black; padding-left: 5px;">naturalis.</td> </tr> <tr> <td style="border-right: 1px solid black; padding-right: 5px;"></td> <td style="border-left: 1px solid black; padding-left: 5px;">artificialis</td> </tr> </table> | 27. Conditio | naturalis. |  | artificialis | <table border="0" style="border-collapse: collapse;"> <tr> <td style="border-right: 1px solid black; padding-right: 5px;">28. Intentio</td> <td style="border-left: 1px solid black; padding-left: 5px;">primaria.</td> </tr> <tr> <td style="border-right: 1px solid black; padding-right: 5px;"></td> <td style="border-left: 1px solid black; padding-left: 5px;">secūdaria</td> </tr> </table> | 28. Intentio | primaria. |  | secūdaria |
| 27. Conditio   | naturalis.   |            |  |              |  |              |           |  |           |
|  | artificialis |            |  |              |  |              |           |  |           |
| 28. Intentio   | primaria.    |            |  |              |  |              |           |  |           |
|  | secūdaria    |            |  |              |  |              |           |  |           |
- 
- |   |                  |            |  |          |  |          |  |           |   |             |      |           |  |  |            |  |      |           |  |  |            |
|---|------------------|------------|--|----------|--|----------|--|-----------|---|-------------|------|-----------|--|--|------------|--|------|-----------|--|--|------------|
| <table border="0" style="border-collapse: collapse;"> <tr> <td style="border-right: 1px solid black; padding-right: 5px;">29. Ordina- tio.</td> <td style="border-left: 1px solid black; padding-left: 5px;">Naturæ</td> </tr> <tr> <td style="border-right: 1px solid black; padding-right: 5px;"></td> <td style="border-left: 1px solid black; padding-left: 5px;">Temporis</td> </tr> <tr> <td style="border-right: 1px solid black; padding-right: 5px;"></td> <td style="border-left: 1px solid black; padding-left: 5px;">Originis</td> </tr> <tr> <td style="border-right: 1px solid black; padding-right: 5px;"></td> <td style="border-left: 1px solid black; padding-left: 5px;">Exercitus</td> </tr> </table> | 29. Ordina- tio. | Naturæ     |  | Temporis |  | Originis |  | Exercitus | <table border="0" style="border-collapse: collapse;"> <tr> <td style="border-right: 1px solid black; padding-right: 5px;">30 Operatio</td> <td style="border-left: 1px solid black; padding-left: 5px;">Bona</td> <td style="border-left: 1px solid black; padding-left: 5px;">Moraliter</td> </tr> <tr> <td style="border-right: 1px solid black; padding-right: 5px;"></td> <td style="border-left: 1px solid black; padding-left: 5px;"></td> <td style="border-left: 1px solid black; padding-left: 5px;">Entitativè</td> </tr> <tr> <td style="border-right: 1px solid black; padding-right: 5px;"></td> <td style="border-left: 1px solid black; padding-left: 5px;">Mala</td> <td style="border-left: 1px solid black; padding-left: 5px;">Moraliter</td> </tr> <tr> <td style="border-right: 1px solid black; padding-right: 5px;"></td> <td style="border-left: 1px solid black; padding-left: 5px;"></td> <td style="border-left: 1px solid black; padding-left: 5px;">Entitativè</td> </tr> </table> | 30 Operatio | Bona | Moraliter |  |  | Entitativè |  | Mala | Moraliter |  |  | Entitativè |
| 29. Ordina- tio.  | Naturæ           |            |  |          |  |          |  |           |   |             |      |           |  |  |            |  |      |           |  |  |            |
|   | Temporis         |            |  |          |  |          |  |           |   |             |      |           |  |  |            |  |      |           |  |  |            |
|   | Originis         |            |  |          |  |          |  |           |   |             |      |           |  |  |            |  |      |           |  |  |            |
|   | Exercitus        |            |  |          |  |          |  |           |   |             |      |           |  |  |            |  |      |           |  |  |            |
| 30 Operatio   | Bona             | Moraliter  |  |          |  |          |  |           |   |             |      |           |  |  |            |  |      |           |  |  |            |
|   |                  | Entitativè |  |          |  |          |  |           |   |             |      |           |  |  |            |  |      |           |  |  |            |
|   | Mala             | Moraliter  |  |          |  |          |  |           |   |             |      |           |  |  |            |  |      |           |  |  |            |
|   |                  | Entitativè |  |          |  |          |  |           |   |             |      |           |  |  |            |  |      |           |  |  |            |
- 
- |  |   |                                |      |  |  |      |  |   |  |   |               |                       |              |                   |           |  |  |        |
|--|---|--------------------------------|------|--|--|------|--|---|--|---|---------------|-----------------------|--------------|-------------------|-----------|--|--|--------|
| <table border="0" style="border-collapse: collapse;"> <tr> <td style="border-right: 1px solid black; padding-right: 5px;">31. Influentia</td> <td style="border-left: 1px solid black; padding-left: 5px;">Realis, quæ dicitur in essendo</td> <td style="border-left: 1px solid black; padding-left: 5px;">Bona</td> </tr> <tr> <td style="border-right: 1px solid black; padding-right: 5px;"></td> <td style="border-left: 1px solid black; padding-left: 5px;"></td> <td style="border-left: 1px solid black; padding-left: 5px;">Mala</td> </tr> <tr> <td style="border-right: 1px solid black; padding-right: 5px;"></td> <td style="border-left: 1px solid black; padding-left: 5px;">Intentionalis, quæ dicitur in prædicando.</td> <td></td> </tr> </table> | 31. Influentia                            | Realis, quæ dicitur in essendo | Bona |  |  | Mala |  | Intentionalis, quæ dicitur in prædicando. |  | <table border="0" style="border-collapse: collapse;"> <tr> <td style="border-right: 1px solid black; padding-right: 5px;">32. Refluētia</td> <td style="border-left: 1px solid black; padding-left: 5px;">In natura insensibili</td> </tr> <tr> <td style="border-right: 1px solid black; padding-right: 5px;">33 Productio</td> <td style="border-left: 1px solid black; padding-left: 5px;">In natura viuente</td> <td style="border-left: 1px solid black; padding-left: 5px;">Naturalis</td> </tr> <tr> <td style="border-right: 1px solid black; padding-right: 5px;"></td> <td style="border-left: 1px solid black; padding-left: 5px;"></td> <td style="border-left: 1px solid black; padding-left: 5px;">Libera</td> </tr> </table> | 32. Refluētia | In natura insensibili | 33 Productio | In natura viuente | Naturalis |  |  | Libera |
| 31. Influentia   | Realis, quæ dicitur in essendo            | Bona                           |      |  |  |      |  |   |  |   |               |                       |              |                   |           |  |  |        |
|  |   | Mala                           |      |  |  |      |  |   |  |   |               |                       |              |                   |           |  |  |        |
|  | Intentionalis, quæ dicitur in prædicando. |                                |      |  |  |      |  |   |  |   |               |                       |              |                   |           |  |  |        |
| 32. Refluētia  | In natura insensibili                     |                                |      |  |  |      |  |   |  |   |               |                       |              |                   |           |  |  |        |
| 33 Productio   | In natura viuente                         | Naturalis                      |      |  |  |      |  |   |  |   |               |                       |              |                   |           |  |  |        |
|  |   | Libera                         |      |  |  |      |  |   |  |   |               |                       |              |                   |           |  |  |        |
- 
- |   |   |              |  |         |  |                     |  |  |   |
|---|---|--------------|--|---------|--|---------------------|--|--|---|
| <table border="0" style="border-collapse: collapse;"> <tr> <td style="border-right: 1px solid black; padding-right: 5px;">34. Separabi- litas.</td> <td style="border-left: 1px solid black; padding-left: 5px;">Mathemati ca</td> </tr> <tr> <td style="border-right: 1px solid black; padding-right: 5px;"></td> <td style="border-left: 1px solid black; padding-left: 5px;">Phisica</td> </tr> </table> | 34. Separabi- litas.                        | Mathemati ca |  | Phisica | <table border="0" style="border-collapse: collapse;"> <tr> <td style="border-right: 1px solid black; padding-right: 5px;">35. Insepara- litas</td> <td style="border-left: 1px solid black; padding-left: 5px;">Actiua, quæ est non repugnantia in agendo.</td> </tr> <tr> <td style="border-right: 1px solid black; padding-right: 5px;"></td> <td style="border-left: 1px solid black; padding-left: 5px;">Passiua, &amp; est non repugnantia in patiendo.</td> </tr> </table> | 35. Insepara- litas | Actiua, quæ est non repugnantia in agendo. |  | Passiua, & est non repugnantia in patiendo. |
| 34. Separabi- litas.  | Mathemati ca                                |              |  |         |  |                     |  |  |   |
|   | Phisica                                     |              |  |         |  |                     |  |  |   |
| 35. Insepara- litas   | Actiua, quæ est non repugnantia in agendo.  |              |  |         |  |                     |  |  |   |
|   | Passiua, & est non repugnantia in patiendo. |              |  |         |  |                     |  |  |   |
- 
- |  |   |                        |  |   |  |                    |                  |                      |  |  |                     |                |                    |                        |  |  |               |
|--|---|------------------------|--|---|--|--------------------|------------------|----------------------|--|--|---------------------|----------------|--------------------|------------------------|--|--|---------------|
| <table border="0" style="border-collapse: collapse;"> <tr> <td style="border-right: 1px solid black; padding-right: 5px;">36. Possibili- litas</td> <td style="border-left: 1px solid black; padding-left: 5px;">Realis,</td> </tr> <tr> <td style="border-right: 1px solid black; padding-right: 5px;"></td> <td style="border-left: 1px solid black; padding-left: 5px;">Logica, &amp; est non repugnantia inter terminos.</td> </tr> </table> | 36. Possibili- litas                          | Realis,                |  | Logica, & est non repugnantia inter terminos. | <table border="0" style="border-collapse: collapse;"> <tr> <td style="border-right: 1px solid black; padding-right: 5px;">37. Impossibilitas</td> <td style="border-left: 1px solid black; padding-left: 5px;">Propria fundatur</td> <td style="border-left: 1px solid black; padding-left: 5px;">In qualitate propria</td> </tr> <tr> <td style="border-right: 1px solid black; padding-right: 5px;"></td> <td style="border-left: 1px solid black; padding-left: 5px;"></td> <td style="border-left: 1px solid black; padding-left: 5px;">In qualitate appro-</td> </tr> <tr> <td style="border-right: 1px solid black; padding-right: 5px;">38. Similitudo</td> <td style="border-left: 1px solid black; padding-left: 5px;">Impropria fundatur</td> <td style="border-left: 1px solid black; padding-left: 5px;">In substantia. (priata</td> </tr> <tr> <td style="border-right: 1px solid black; padding-right: 5px;"></td> <td style="border-left: 1px solid black; padding-left: 5px;"></td> <td style="border-left: 1px solid black; padding-left: 5px;">In accidente.</td> </tr> </table> | 37. Impossibilitas | Propria fundatur | In qualitate propria |  |  | In qualitate appro- | 38. Similitudo | Impropria fundatur | In substantia. (priata |  |  | In accidente. |
| 36. Possibili- litas   | Realis,                                       |                        |  |   |  |                    |                  |                      |  |  |                     |                |                    |                        |  |  |               |
|  | Logica, & est non repugnantia inter terminos. |                        |  |   |  |                    |                  |                      |  |  |                     |                |                    |                        |  |  |               |
| 37. Impossibilitas   | Propria fundatur                              | In qualitate propria   |  |   |  |                    |                  |                      |  |  |                     |                |                    |                        |  |  |               |
|  |   | In qualitate appro-    |  |   |  |                    |                  |                      |  |  |                     |                |                    |                        |  |  |               |
| 38. Similitudo   | Impropria fundatur                            | In substantia. (priata |  |   |  |                    |                  |                      |  |  |                     |                |                    |                        |  |  |               |
|  |   | In accidente.          |  |   |  |                    |                  |                      |  |  |                     |                |                    |                        |  |  |               |
- 
- |   |                   |        |        |  |
|---|-------------------|--------|--------|--|
| <table border="0" style="border-collapse: collapse;"> <tr> <td style="border-right: 1px solid black; padding-right: 5px;">39. Diffimilitudo</td> <td style="border-left: 1px solid black; padding-left: 5px;"></td> <td style="border-left: 1px solid black; padding-left: 5px;">Natura</td> </tr> </table> | 39. Diffimilitudo |        | Natura |  |
| 39. Diffimilitudo   |                   | Natura |        |  |



40. Natura.	<ul style="list-style-type: none"> <li>Quæ est natiuitas.</li> <li>Materia</li> <li>Forma</li> </ul>	} Principium motus & quietis.	
41. Punctualitas.		{ Naturalis, vt manus, pes, digitus &c.	
42. Instrumentalitas.	<ul style="list-style-type: none"> <li>Substantia</li> <li>Accidens</li> </ul>	<ul style="list-style-type: none"> <li>Artificialis, vt malleus, forcipes, gladius.</li> <li>Quantitas</li> <li>Qualitas</li> <li>Relatio</li> <li>Actio.</li> <li>Passio</li> <li>Habitus.</li> </ul>	
43. Necefitas		<ul style="list-style-type: none"> <li>Coactionis</li> <li>Præsuppositionis.</li> <li>Simpliciter.</li> <li>Conditionata.</li> <li>Consequentis.</li> <li>Consequentia.</li> </ul>	
44. Perfectio	<ul style="list-style-type: none"> <li>Simpliciter.</li> <li>In genere</li> <li>Extra genus</li> <li>Gratiæ</li> </ul>	<ul style="list-style-type: none"> <li>Sufficientiæ.</li> <li>Prælationis.</li> <li>Religionis.</li> <li>Operationis meritoria.</li> <li>Tranquillitatis.</li> </ul>	
45. Vita.	<ul style="list-style-type: none"> <li>Vegetantis.</li> <li>Sentientis.</li> <li>Ratiocinantis.</li> </ul>		
46. Effentia	<ul style="list-style-type: none"> <li>Realis</li> <li>cognita</li> </ul>	<ul style="list-style-type: none"> <li>Obiectiuū</li> <li>Subiectiuū</li> </ul>	<ul style="list-style-type: none"> <li>Habitua</li> <li>liter.</li> <li>Actualiter</li> </ul> <ul style="list-style-type: none"> <li>Ante actum intelligendi.</li> <li>Post actum intelligendi &amp; hoc est puer.</li> </ul>
47. Ens.	<ul style="list-style-type: none"> <li>Reale</li> <li>Ratio</li> <li>nale</li> </ul>	<ul style="list-style-type: none"> <li>Subiectiuū</li> </ul>	<ul style="list-style-type: none"> <li>Species intelligibiles. (rum ens)</li> <li>Actus intelligendi. (rationis)</li> <li>Habitus geniti.</li> </ul>

*DE FORMIS, CREATIS TANTUM conuenientibus.*

**N**ON debes existimare, formas quas modo describemus, singulis creatis conuenire, quia forma datur ac etiam materia, quibus materia non potest ullo modo conuenire; eodem modo accipiendo materiam & formam, quo modo inter formas annumerantur: omnibus tamen creatis, collectiue signum



vniuersale accipiendo, proculdubio conueniunt. Tu igitur applicaturus formas, prius considera, quas secum potest ea res pati, de qua differere cupis. Sed formas aggrediamur.

### 1. DE COMPOSITIONE.

COMPOSITIO omnia creata circuit, quia aliqua cōpositio sunt composita; non tamen eodem modo omnia creata sunt composita, sed diuersimodè, vt melius tibi erit notum ex multiplici specie compositionis. Qualiter in Deo compositio reperitur, supra dictam fuit, vbi de simplicitate agebamus: ibi enim est cōpositio, quæ tantū plurium positionē signat, quæ tamen plura summè sunt in actu. Species compositionis hæc sunt.

*Species compositionis.*

1. Ex materia & forma corruptioni subiectis, qua compositione materialia omnia sub Lunæ concauo existentia, dicuntur composita.
2. Ex materia ad vbi & forma ppetua, qua cœlestis natura extat.
3. Ex partibus quantitatis, qua corporalia omnia non egent.
4. Ex corporibus, & conuenit mixtis.
5. Ex genere & differentia, & hæc creata omnia quæcunq; sint illa dicuntur composita, siuè substantiæ sint aut accidentia; vel corporalia aut spiritualia: Anima rationalis & Angelus, accidentiaq; omnia hoc modo composita sunt.
6. Ex actu & potentia, quæ pariter omnibus creatis conuenit; ideo res sunt in actu quia existunt & in potentia saltem ad annihilationem.
7. Ex positiuo & priuatiuo, prout entia quæ sunt in actu, positia sunt, & quia si vt entia considerentur, possunt diuinam habere perfectionem, qua tamen priuantur, ideo ex priuatiuo constant. Possem plures alias compositionis species assignare: sicuti sunt, ex essentia & existentia vel subsistentia; ex iis, cum iis, quas omitto, quia in assignatis continentur.

### 2. DE MATERIA.

MATERIA est ratio, qua creata materialia aliquo modo sunt. Plures materiæ species ex compositione possunt assignari, vt statim manifestabitur. Quemadmodum per formam res sunt in actu, ita per materiam in potentia.

1. Materia in qua, est compositum, quatenus accidentia suscipit & dicitur materia secunda.
2. Materia circa quam, & est subiectum vel obiectum scientiæ alicuius.
3. Materia ex qua, & propriè dicitur materia prima, quæ est receptiua omnium formarū successiuè; & est causa corruptionis.
4. Materia ad vbi, & reperitur in cælo.
5. Materia logicalis, & est genus. Genus enim (inquiunt logici)



habet materiæ rationem, differentia verò, formæ, ex quibus duobus logicum compositum resultat.

6. Materia metaphisica, & in omnibus reperitur, vbiunque est potentia passiva.

### 3. DE GENERE.

**G**ENUS est quod sub se multas continet species aptitudine: & duplex est, phisicum & logicum; phisico genere gaudent quæcunque ex eadem materia sunt constituta, vt corporalia omnia corruptibilia. Genus logicum duplex est, scil. generalissimum & subalternum; generalissimum supra quod aliud genus non datur, licet transcendens possit dari: subalternum, quod respectu superiorum est species, inferiorum verò genus. Genus logicum est vnum de quinque prædicabilibus, non quatenus de pluribus differentibus specie ac numero prædicatur, sed ob hanc causam, & præterea, quia tantum partem essentiæ speciebus communicat: & à specie differt, quia hæc totam essentiam indiuiduis largitur.

*Genus logicum  
& phisicum  
quid? & quod  
duplex logi-  
cum.*

*Quare genus  
logicum sit  
vnum de  
quinque præ-  
dicabilibus.  
Scottus.*

### 4. DE SPECIE.

**S**PECIES est quæ sub se plura indiuidua tantum continet, vel nata est continere. Non absque consideratione posuimus in hac speciei definitione has particulas, vel nata est continere, quia sunt quædam species, quæ tantum vnicum habent indiuiduum actu, plura tamen aptitudine habere possunt; vt sunt Sol, Luna, Phoenix, & si quæ similia præter hæc reperiantur. Hoc in loco de specie specialissima tradidimus definitionem.

*Notas.*

### 5. DE INTENSITATE.

**I**NTENSITAS est ratio, qua aliquid intensum est. Illud intensum est, quod habet plures gradus intensiōis in eodem situ; sicuti possumus de albedine intensa vel aqua calidissima exempla dare. Intensitatis species hæc sunt.

1. Est intensitas formalis, qua formaliter & actu aliquid est intensum.

2. Virtualis, qua potest aliqua res intensiorem effectum producere. Piper, quia potest producere intensam caliditatem, dicitur hoc modo habere intensiōem. De hac re Medicos consulere poteris, qui optimè noscunt, quæ sint herbae, vel rationalia, habentia caliditatem in quarto gradu vel frigiditatem.

3. Est intensitas largè accepta, qua res vna, alia perfectior dicitur: hoc modo, homo est asino intensior.



6. *DE EXTENSITATE.*

**EXTENSITAS** ratio est, qua aliquid est extensum. Huius formæ species sunt multæ: nec omnes explicabimus, sed aliquas.

1. Est extensitas molis, qua aliquid est longum, latum vel profundum.

2. Potentialis, qua res aliqua plura continet potentialiter.

3. Communicatiua, qua res vna pluribus se communicat.

4. Regiminis, qua aliqua res pluribus dominatur.

5. Causatiua, & reperitur in causis vniuersalioribus.

6. Diuisiua, qua vnum in plura diuiditur, siue logicè, siue phisicè.

7. Consideratiua, & attenditur penes scientias, in quibus plura considerantur.

7. *DE CORRUPTIONE.*

**PER** corruptionem res suum esse amittunt, quæ vbique in corporalibus reperitur, nisi velis corpora cœlestia ab hoc motu immunia esse.

1. Quædam simpliciter dicitur, quando substantialis forma siue specifica siue generica destruitur.

2. Quædam secundum quid, & est quando accidens corrumpitur: si accidens spirituale erit, corruptio spiritualis dicitur, si corporale corporalis; & duplex esse potest, quædam quæ penes naturale attenditur, altera penes artificiale.

3. Aliqua partialis vocatur, & tunc est, quando res non secundum se tota destruitur, & in elementis inuenitur: non enim secundum se tota corrumpuntur.

4. Totalis aliqua nuncupatur, quando totaliter corrumpitur res: non quod materia in corporalibus destruat, sed quia per corruptionem nil amplius remanet sensibile aliquod, quod inerat prius.

8. *DE PRIVATIONE.*

**QVONIAM** materia ad omnes formas appetitum habet, qui nec frustratorius est, ideo in ea tot priuationes reperiuntur, quot formæ possunt recipi: quas si numerare nequeas, dicas vnâ tantum habere priuationem toti materiæ ad æquâgam. Eius species sunt quatuor.

1. Respectu formæ substantialis.

2. Respectu formæ accidentalis.

3. Respectu formæ perfectioris.

4. Respectu formæ imperfectioris.



9. DE VACUITATE.

PRIVATIO & Vacuitas sanè sunt idem; cum Lullo tamen dicimus, vacuitatem duplicem esse, realem & intentionalem; realis quando res appetitum ad aliquid habet, nec eo fruatur; intentionalis, quæ ab hominis intellectu fit.

10. DE GROSSITUDINE.

NON est dubium, quin res quælibet alteri comparata grossior vel subtilior sit; propria tamen grossitudo in ijs inuenitur, in quibus terræ vel aquæ elementum dominatur; quæ & densitas nominari potest.

11. DE GRACILITATE.

HÆC forma priori immediatè est opposita, de qua oppositum prioris sentias.

12. DE LEVITATE.

PER Levitatem res leuiiores dicuntur; quæ duplex est, scilicet simpliciter dicta alia per respectum; prior in illis corporibus reperitur, quæ nata sunt cæteris corporibus leuioribus supereminere, secunda verò in illis quæ grauioribus utroque modo.

13. DE PONDEROSITATE  
vel gravitate.

GRAVITAS est ratio, qua corpora nata sunt deorsum tendere; quæ duplex est, simpliciter & per respectum; primo modo corpora illa sunt grauia, quæ infimum omnium locum nata sunt occupare, secundo autem modo quæ supra hæc tantum locum sibi vendicant.

14. DE MOTU.

VT breuibus hanc formam definiendo me expediam, motum rationem esse dico, qua creata cuncta mouentur. Largè motum accipiendo generationi & corruptioni conuenit, de quibus loquuti sumus; hic tamen strietè considerare volumus. Motus species multæ sunt, vt statim tibi demonstrabitur.

1. Augmentatio, & est augmentum quantitatis,
2. Diminutio, & est decrementum quantitatis.
3. Alteratio, & est mutatio de vna qualitate in aliam.
4. Loci mutatio, & est variatio de vno loco in alium locum;

& huius motus sunt multæ species, scilicet Ante, Retro, A dextris, A sinistris, Sursum, Deorsum, Circularis & Neutralis. *Omnes motus localis species hic*



*enumeran-  
sur Vide  
opumè.*

*Aristot. 7.  
phisi.*

Motus sursum est, quando res à medio mouetur; deorsum vero, quando res ad medium mouetur; & horū quidam simplex nominatur, compositus alter; simplex, quo mobile per breuiorem lineam mouetur; compositus, quo per obliquam lineam suam perficit motum. Motus circularis est, quo mobile circa medium mouetur. Neutralis verò, quando mobile ad vnam loci partem mouetur, nec magis ad hanc quàm ad oppositam inclinatur: huius motus species quatuor ab Aristot. assignantur in 7. phisicorum, quæ sunt Pulsio, Vectio, Tractio & Vertigo: Pulsio duas habet species, scil. impulsionem & expulsionem; impulsio est motus, quo mouens à se facit mobile distare, mouensq; mobile nunquã derelinquit usq; in motus finem; expulsionem verò mouens vtiq; à se mobile pellit, nec tamen eum comitatur. Vectio est motus, quo mobile per accidens mouetur, ad motum, scil. vehentis. Tractio est motus, quo mobile mouenti appropinquatur. Vertigo est motus ex pulsione partim, partimq; ex tractione conflatus. Assignantur præterea quædam aliæ motus species, quæ magis passionem nominari possunt, & hæc sunt.

5. Modus tardus, quo maiori tempore mobile parum acquirit vel deperdit.

6. Velox, quo minori tempore multum deperdit vel acquirit mobile: Impedimentum in motu tarditate quatuor ex causis prouenire potest scil. ex minima mouentis virtute; ex resistantia contrarij; ex medij resistantia; & demum in libris agentibus, ex eorum voluntatis arbitrio.

7. Uniformis, quo mobile secundum omnes partes suas æquè tardè vel velociter mouetur.

8. Difformis, quo mobile nõ æquè velociter vel tardim mouetur. Difformitas in motu nonnunq̃ prouenire potest ex parte agentis, quando eius virtus nõ est tam vni mobilis parti propinqua quàm alteri; quandoque ex parte mobilis, quando secundum partem vnam magis indispositum existit, quàm secundum alteram.

9. Regularis, quando mobile tam in principio quàm medio ac fine secundum tempus æqualiter mouetur.

10. Irregularis, quando in vna temporis parte magis mobile mouetur quàm in alia; & hæc irregularitas in motu causatur, ratione virtutis in mouente existentis, quoniam non semper eandem habet virtutem, si de naturali agente loquamur, ac de eo quod instrumentis vtatur in motu suo.

11. Naturalis, quando secundum suam inclinationem res mouetur.

12. Violentus, quando præter inclinationem mobile mouetur.

13. Potest

*Tarditas in  
motu unde  
exeruat.*

*Difformitas  
in motu un-  
de exeruat.*



13. Potest addi motus obediencialis, quo res mouetur, ne natura vacuum patiatur; & taliter nominatur, quoniam à summo omnium principio sic ordinatum est, vt aliquando grauia sursum tendant, ne vacuum detur; nec talis motus est contra eorum inclinationem, quoniam secundum diuinæ voluntatis bene placitum fit; quod ea in re potissimum cernitur.

### 15. DE DURICIE.

**DURICIES** est ratio, qua corpora sunt dura, quæ causatur à siccitate & coagulatione. Interdum fit à nimia humidi compressione, veluti in vitre pleno aëre inuenitur. *Duricies Gra- de oritur.*

### 16. DE MOLLICIE.

**MOLLICIES** est ratio, qua corpora mollia sunt; & causatur ab humido remanente in re, quatenus ad exteriores corporis partes non per obliquos poros, sed rectos reuocatur. *Mollicies Gra- de causatur.*

Quandam formam Lullus describit, de qua nihil sumus dictur, ne superflui simus; hæc forma consumptio vocatur, quæ à corruptione nequaquam differt. *Formas ali- quas autor omittit & quare.*

Originem pariter ac Exitum describit, quæ duæ formæ à productione non distant, ideo omittimus.

### 17. DE CORPORALITATE.

**CORPORALITAS** est forma, per quam radices & alie arborum partes, vel sunt corpora, vel corporum causæ: non est accipiendum hic corpus mathematicum, sed potius physicum: de mathematico enim supradictum est.

### 18. DE TRANSMUTATIONE.

**TRANSMUTATIO** hic consideratur pro quacunque mutatione rei ad aliquod absolutum, & parum, vel nil à generatione differt, accipiendo generationē pro simpliciter dicta, & secundum quid. Posset quoque dici motum localem esse transmutationem, sed hac de causa non est opus peculiarem formam describere, cum supra, vbi de motu loquuti sumus, satis actum sit.

### 19. DE LVCE.

**LUX** si propriè accipiatur in corporalibus nequaquam inuenitur, sed in spiritualibus tantum, & secundum hunc sensum Deus lux dicitur: sicuti in Ioanne habetur, Deus lux erat vera. Et etiam, Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ. *Genes. 1.* Angeli quoq; hoc modo lucis nomine appellari possunt, quemadmodum & D. August. nominauit. In corporalibus verò lux est qualitas quædam sensibilis: & propria est corporis celestis,



quæ tamen in corporibus inferioribus recipitur vel eius saltem effectus, nempe lumen: & hac luce corpora sunt lucida.

### 20. DE VMBRA.

VMBRA est ratio, qua corpora aliqua luce interdum priuantur. Huius formæ significationes plurimæ sunt, quæ in scriptura sacra reperiuntur: quæ nobis negocij haud faciunt.

### 21. DE FIGURA.

FIGURA est hic accipienda quatenus est quantitas, scil. triangularis, quadrangularis, circularis &c. potest quoque accipi pro qualitatibus quarta specie, ab Arist. descripta. Est que ratio figura, qua corpora sunt figurata.

Cap. de  
Quali.

### 22. DE RECTITVDINE.

SEX sunt rectitudines quas Lullus enumerat, scil. altitudo, infinitas, antè, retrò, dextrum, sinistrum; quæ potius loci differentia sunt, quibus, vario modo, interdum naturaliter, quandoque per artem, corpora sunt situata.

### 23. DE MASCVLINEITATE.

PER hanc formam res quædam masculini sunt sexus; quibus & nobiliora conueniunt accidentia, quàm ijs quæ foemini sunt.

### 24. DE FOEMINEITATE.

QUEMADMODUM de masculino sexu diximus, sic proportionaliter de foeminino intelligendum est, quo sexu ignobiliora accidentia operationesq; rebus conueniunt.

### 25. DE MEMBROSITATE.

MEMBROSITAS est ratio ac causa, quare in corporibus plures sunt distinctæ partes, ad alias & alias operationes ordinatæ.

### 26. DE NVTRIMENTO.

PER nutrimentum eius corporis quod nutritur essentia ac natura conseruatur; quia continua fit substantiæ deperditio in corporibus viuentibus, ob naturalem calorem, humidum radicale destruentem, quæ ratione nutrimenti aliquantulum re-integratur. Solet interdum nutrimentum accipi pro re illa, quæ aliquod in esse conseruat, licet illud non habeat vnde viuat: sicuti de igne possumus dicere, cuius nutrimentum sunt ligna



ligna vel alia combustibilia, sed valdè impropriè nutrimentum hoc modo accipitur.

### 27. DE IMPRESSIONE.

**A**CCIPIT impressionem Lullus similitudinem siue formalè siue virtuales à corpore aliquo in aliud impressam; secundum priorem acceptionem agentia vniuoca suas imagines effectibus communicant, secundum posteriorem æquiuocorum simulacra in effectibus recipiuntur: sic cœli suas imprimunt similitudines in elementatis.

### 28. DE INSERTIONE.

**S**ICUTI ex Lulli verbis colligitur, insertio nihil aliud est quàm continentia quædam, qua aliquid aliud continet. Sic (inquit Lullus) potentia vegetatiua est inserta in elementatiua, & sensitiua in vegetatiua & elementatiua. Tu multiplices continentias notabis. Quædam est:

Potentialis.

Actualis.

Identifica.

Vnitua.

Virtualis in esse cognito, & virtualis in esse reali.

Adæquata.

Inadæquata.

### 29. DE PERSEITATE.

**P**ERSEITAS est ratio, quare substantiæ omnes per se stant, prout per se stare distinguitur ab inhærerere; & loquendo de substantijs completis ac perfectis. Has conditiones necessarium erat addere, ad dubitationes tollendas de formis substantialibus, atque de substantiarum dependentia ab efficiente & à loco.

### 30. DE INDIVIDVITATE.

**H**ÆC forma quibuscunque dispositis tribuit, ne pluribus in ratione superioris se communicent. Assignantur diuersa indiuiduorum genera; nempe, signatum indiuiduum, ex demonstratione, vagum, & ex hypothesi. Quod horum sit discrimen, Logici tradunt.

### 31. DE ATTRACTIONE.

**A**TRACTIO dicitur causa, qua aliquid vnum aliud consequitur, per appetitum vel inclinationem, quam ad illud habet; sic trunci attrahunt quod à radicibus recipitur, branchæ quod à truncis, rami quod à branchis, sic procedendo ad fructus vsq;. Alia assignatur attractio, qua potentia, species obiectorum suorum attrahunt.



32. *DE CONTINGENTIA.*

**O**MNE id quod à casu vel fortuna euenit, hoc modo contingens est. Si homo templum volens adire, à lapide deorsum cadente in capite lædatur, contingens est. Si tripodà cadens è supremo loco, fiat apta sedes, contingens est. De hac contingentia sub nomine casus aut fortunæ intelligenda, præclara Philo. tradit.

*lib. 2. phisic.*

33. *DE IMPERFECTIONE.*

**I**mperfectio perfectionis est oppositum, ideo quot perfectionis species explicantur vel explicari possunt, tot & imperfectionis. Imperfectio est ratio, qua aliquid non habet esse completum, Sic homo à natiuitate cæcus aut surdus vel mancus, imperfectus est.

34. *DE COLORE.*

**G**randis est colorum vis, quoniam eorum medio in cognitionem quam plurimarum rerum deuenitur. Plura etenim corpora reperiuntur colore vel lumine affecta, quàm alijs qualitibus, vt satis notum relinquitur de Cælo. Color igitur est ratio, qua mixta sunt colorata; nota mixta, quoniam elementa qualitatibus secundis carent.

35. *DE SONO.*

**S**ONUS est vniuersale quoddam ad omnes sonos. Hoc in loco sonum accipe & quatenus à corporibus sonantibus procedit, & etiam vt est qualitas quædam in aërem impressa, ipsumq; percutiens, de quo consideratur etiam in arbore sensuali, sed per accidens, vbi de potentijs sensitiuis exterioribus obiectis traditur notitia.

36. *DE ODORE.*

**F**UMALES euaporationes à corporibus odoriferis exeuntes, aëremq; mouentes eum alterando, ad organū olfactus deueniunt, quod in duabus narium carunculis consistit, & sic percipiuntur odores. Placuit breuiter ostendere olfaciendi modum; tu autem in se odores considera, & quatenus ad potentiam ordinantur.

37. *DE SAPORE.*

*Saporis materia.*

**D**E Sapore multa essent dicenda, breuiate tamen gaudentes, quædam tangemus. Saporis materia subiecta, est humidum, cui admixtum est siccum terrestre; humida enim tantum, non sunt sapida, quia nimis subtilia; neque sicca tantum, vt de terra & huiusmodi satis apparet. Hoc modo sapor potest defini.

*Saporis definitio.*

defini.



definiri. Sapor est humidi passio illata à sicco terrestri, quod à calido patitur; unde per humidum, receptiuum saporis explicatur; per siccum terrestre passum, efficiens propinquum; per calidum in siccum agens, efficiens remotum. Saporis multæ sunt species.

1. Dulcis, constat ex caliditate & humiditate in grossa substantia; mediatque eius complexio inter caliditatem & frigiditatem.

2. Suavis, ex caliditate ac humiditate in subtili substantia; eiusque complexio est media.

3. Pinguis, ex caliditate ac humiditate in substantia mediocri; est mediæ complexionis.

4. Insipidus, ex frigiditate; est quoque mediæ complexionis.

5. Salsus, ex caliditate & siccitate in substantia mediocri; complexio est calida.

6. Amarus, ex caliditate & siccitate in grossa; complexio est eadem cum præcedenti.

7. Acutus, ex caliditate & siccitate in subtili; complexio est eadem.

8. Acetosus, ex frigiditate & siccitate in substantia subtili generatur; complexio est frigida.

9. Stipticus, ex frigiditate & siccitate in mediocri; eadem est complexio.

10. Ponticus, ex frigiditate & siccitate in grossa; & est eiusdem complexionis cum Stiptico Acetosoque.

Horum saporum multas possem assignare operationes & causas operationum, quas considerandas relinquimus Medicis.

### 38. DE SENSV.

**H**ANC formam vult Lullus sub se gustum tactumue continere, sicuti ex eius verbis colligitur. Inquit enim. Sensus est seminatus in arbore elementali, qui dispositus est ratione sensitivæ insertæ in elementatiua & vegetatiua, quod ex illo agens naturale animatum in actum deducat per sentire, calorem aut frigiditatem, famem & sitim ac tactum. Non esset tamen inconueniens, hanc formam accipere quatenus cuilibet sensui est applicabilis.

*Recitantur  
Lullus Verba.*

### 39. DE CONCEPTIONE.

**P**ER hanc formam intelligendæ sunt conceptiones naturales, quæ ad generationem sensitivi vel vegetatiui ordinantur. Aliæ sunt etiam conceptiones, scilicet mentales, quarum partem sunt explanationes quæ scriptura, nutibus aut verbis fiunt.

*Conceptiones  
naturales &  
mentales.*



## 40. DE DORMITIONE.

**D**ORMITIO vel somnus est animalis perfecti vel imperfecti passio; sicuti & vigilia, hinc est quod ea quæ sensibus carent, ijs quoque careere necesse est. Somnus animantibus necessarius est duplici de causa; primò ut virtutes naturales quibus uti nequaquã possumus sine illarum fatigatione, interdum quiescant; secundò ob virtutes vegetatiuas, quæ continuo motu à suis operationibus impediuntur; & hoc verum esse ex effectibus cernitur; experimur enim homines studiosos, multumque sensibus vtentes non admodum esse pingues, ob malam nutritionem quæ in eis fit; ex opposito verò quidam inveniuntur ignauix, ocio, & somno dediti qui tam pingues sunt, quod nil supra. Generatur autem somnus hoc modo. Ob ciborum decoctionem, à corde vapores eleuantur, cerebrumque petunt, qui à nimia cerebri frigiditate condensantur, replentque venas ac meatus, quibus à cerebro organis virtus sensitiva commutatur; & sic ligantur organa vel impediuntur ne possint sensationes suas exercere.

*Somnus quare animantibus sit necessarius.*

*Somni generatio,*

## 41. DE VIGILIA.

**D**E vigilia oppositum eius quod de somni natura dictum est, considerandum relinquitur; conuenit pariter vigilia animantibus; & nihil aliud est, quàm solutio sensuum ad exteriores actus, per caloris naturalis reuersionem ab interioribus ad exteriora.

## 41. DE SOMNIO.

**B**REVITER explicari quid somnium sit, dicimus esse apparitionem quandam ex recursum simulachrorum à phantasia, per compositionem vel diuisionem vario modo constitutam, ad sensum communem; quibus phantasiaribus homini dormienti sic esse ad extra videtur ut ipsa mouent, nullo extrinseco agente in sensum, per representantis modum: non sine causa posuimus has particulas (per representantis modum) quoniam per modum excitantis extrinseca quædam ad somniorum causationem requiruntur. Corpora enim cœlestia concurrunt ad hoc; cum phantasia ac cæteræ interiores potentie materiales sint, ac materiales obiectorum species retineant, quæ influxus cœlestis sunt receptiue. Elementorum quoque qualitates ad somnium efficiendum operantur ac conducunt; nam corporis partes nudatas circundant & caput præcipuè, quas pariter afficiunt qualitatibus illis; hinc est quod si dormientis manus vel pedes in aquam frigidam ponantur, statim se in aqua sedere somniabit. Multæ sunt somniorum species quas relinquimus.

*Definitur somnium.*

*Cœli & Elementorum qualitates ad somnium concurrunt.*

*Nota.*



## 43. DE GAUDIO.

**G**AUDIUM finis est potentiarum ferè omnium: appetit animal, timet, irascitur, prosequitur aliquid, & aliud vitat, ob delectationem & gaudium, quatenus ad actus tales directè vel indirectè sequitur, vel oppositum eius vitatur. Est gaudium ratio qua animal de bono adæpto vel adipiscendo, aut malo fugiendo lætatur.

## 44. DE IRA.

**I**RA ex concupiscentia oritur, atque ad eius passiones terminatur. Si ex amore rei alicuius optatæ, aliquod arduum sequatur, statim in appetitu confurgit ira, qua animal sperat arduum illud superare; & ex spe audacia innascitur, qua prosequitur arduum; quando verò per audaciam vel potius actum eius, arduum superatur, tunc spei actus terminatur, & gaudium sequitur. Ex quibus, sic ira definiiri posset. Ita est appetitus actus, qui à bono vel malo proposito mouetur, sub alicuius arduitatis conditione.

## 45. DE SANITATE ET INFIRMITATE.

**S**ANITAS in corpore animato residet, atque in adæquatione humorum consistit: hinc fit quod soluta illa adæquatione, statim inducitur infirmitas: & sic patere potest, quid sanitas sit ac infirmitas.

## 46. DE INDUSTRIA.

**I**NDUSTRIA ratio est quædam, qua agentia secundum sensum vel intellectum, necessaria pro vita conseruanda querunt, sed cum sagacitate quadam ac astutia. Industrij sunt homines & propriè, industriæ sunt formicæ, araneæ, vulpes, & talia animalia, sed impropriè.

## 47. DE SUBSTANTIA.

**S**UBSTANTIA prima hic consideranda venit, siuè perfecta & completa sit, siuè imperfecta & incòpleta. Completa & perfecta substantia compositum est, non ad aliud ordinabile in ratione formæ aut materiæ. Incompleta verò & imperfecta illa dicitur, quæ ad aliud ordinatur in ratione materiæ vel formæ. Et sic formæ à Lullo traditæ creatis solum conuenientes, sunt descriptæ: si ad eum numerum nō ascendunt quem ipse multiplicat, in causa est indistinctio, quam in multis inueni. Omnia enim entibus omnes nequaquam possunt adaptari, quod debet optimè

*Quid completa & incompleta substantia.*

*Nota.*



scire Multò plures describerem formas quæ satis comòdè corporis aliquib. entibus, & ijs præcipuè quæ vita priuatur conuenire possent, si opus hoc breuitate non deberem concludere, quas tamen nominabo, vt ostendam me plurimas nò ignorare.

- |                             |                                   |
|-----------------------------|-----------------------------------|
| 1 Assatio.                  | 41 Heterogeneitas.                |
| 2 Austeritas.               | 42 Ingrossatio.                   |
| 3 Ariditas.                 | 43 Illiquabilitas.                |
| 4 Attenuatio.               | 44 Incoctio.                      |
| 5 Auansis, quæ senectus di- | 45 Impressibilitas.               |
| 6 Ars. (itur plantarum.     | 46 Incoagulatio.                  |
| 7 Aquositas.                | 47 Indigestio.                    |
| 8 Analogia.                 | 48 Inflammatio.                   |
| 9 Amantudo.                 | 49 Inquinatio.                    |
| 10 Coctio,                  | 50 Insolubilitas.                 |
| 11 Coagulatio.              | 51 Liquefactio.                   |
| 12 Commensuratio.           | 52 Maturatio,                     |
| 13 Combustio.               | 53 Mixtio.                        |
| 14 Commessatio.             | 54 Mobilitas.                     |
| 15 Compressio.              | 55 Molyntis est opposita elixa-   |
| 16 Complexio.               | 56 Mollificatio. (tioni,          |
| 17 Congelatio.              | 57 Mutatio.                       |
| 18 Crudititas.              | 58 Notio.                         |
| 19 Crassities.              | 59 Nidor est halitus corporis     |
| 20 Debilitatio,             | 60 Naturalitas. (vnctuos.         |
| 21 Digestio.                | 61 Percussio.                     |
| 22 Ductibilitas.            | 62 Pulsio.                        |
| 23 Dirigibilitas.           | 63 Phlegmaticum.                  |
| 24 Diuisio.                 | 64 Pinguedo.                      |
| 25 Ductilitas.              | 65 Pressibilitas,                 |
| 26 Elixatio.                | 66 Putredo.                       |
| 27 Euaporatio.              | 67 Putrefactio.                   |
| 28 Exhalatio.               | 68 Porrositas.                    |
| 29 Excrementum,             | 69 Penetratio.                    |
| 30 Exiccatio.               | 70 Remissio.                      |
| 31 Expiratio.               | 71 Respiratio.                    |
| 32 Ebullitio.               | 72 Retentio.                      |
| 33 Flammabilitas.           | 73 Scissio.                       |
| 34 Flexibilitas.            | 74 Sectio.                        |
| 35 Fractibilitas.           | 75 Senectus.                      |
| 36 Frigiditas.              | 76 Siccitas.                      |
| 37 Frixió.                  | 77 Singularitas.                  |
| 38 Fluxus.                  | 78 Solubilitas.                   |
| 39 Humiditas.               | 79 Stathensis tertia species con- |
| 40 Homogeneitas.            | 80 Superfluitas. (coctionis.      |



81 Tenacitas.

82 Gostio.

83 Tractibilitas.

84 Transcendentia.

85 Trahibilitas.

86 Vnctuositas.

87 Vnio.

88 Vniuersalitas.

89 Violentatio.

90 Vstibilitas.

Plures formas fabricare poteris in vnaquaque arbore, si partes omnes arboris consideraues ac indagaueris earum partium proprietates, quas loco formarum poteris habere; quia vt dixi aliquando, formæ loco proprietatum assignantur, quæ melius in rei cognitionem ducunt quàm cætera extrinseca prædicata. Dedimus modum fabricandi multas formas. Sat volumus de formis dixisse, ac de prima arbore.

### DE ARBORE VEGETALI.

POST elementalis arboris considerationem, congruè se nobis offert contemplatio arboris vegetalis quoniam secundum naturæ ordinem post simplex esse quod rebus conuenit, sequitur viuere, quo in esse nobiliori constituuntur; nec altiozem gradum possunt corporea entia vnquam consequi, nisi vegetans vita præsupponatur. In hac arbore omnia sunt considerata sub duplici ratione, videlicet quatenus habent esse elementarium & vegetarium, hoc etenim illud præsupponit.

*Ordo arboris  
elementalis  
ad Vegetationem.*

### DE RADICIBVS.

RADICES huius arboris eadem penitus sunt, quæ pro elementali arbore sunt firmatæ, à quibus omnes arboris partes suum esse accipiunt; nec aliquid radicibus conuenit, quin arborum partibus secundario conueniat.

### DE TRVNCO.

TRUNCUS est quoddam vniuersale corpus, in quo potentialiter particulares trunci continentur ac reliqua omnia, quæ truncum sequuntur. Nam virtute naturalium agentium quæ in eo sunt, potentialiter ad actum deducuntur.

### DE BRANCHIS.

BRANCHIÆ sunt quatuor, scilicet potentia appetitiua, digestiua, retentiua, & expulsiua. Per appetitiuam quod conueniens est vegetantibus, desideratur, ac beneficio naturæ fruitur. Prouida natura diuersis diuersas tradidit virtutes, quibus conuenientia attrahuntur vt in esse conseruentur. Quoniã verò attractum est, ad attrahentis membra roboranda, quæ naturalis caloris vi ac virtute debilitata fuere, nunquam est aptum, nisi

*Virtus appetitiua vel attractiua.*



membris nutriendis simile fiat; ob id opus est digestiua, qua alimentum concoquatur, ac digerantur ea quæ speciem & formam membrorum suscipere non apta sunt. Et hoc alimentum quod ab extrinseco venit, quia in tempore imperceptibili non potest transmutari ac conuerti in aliam substantiam, ob imbecillam transmutantis actionem ac passivam resistantiam; ideò necessaria est quædam retentiua facultas, qua nutrimentum tamdiu retineatur quoad usque nutritio fiat. At propter impuritates abiciendas, quæ virtute digestiue potentiæ, à purioribus subtilioribus uè sunt segregatæ, necessarium est aliam virtutem considerare membris congenitam, quæ expulsiua nominatur. Nil sanè prodesset attractiua, digestiua, & retentiua nisi expulsiua adesset, quod manifestissimis exemplis comprobatur in iis, qui interdum multis morbis laborant, ob difficultatem quam habent expellendi e corpore impuritates. Et istæ quatuor explicatæ virtutes famulari dicuntur tribus aliis virtutibus, nempe nutritiue, augmentatiue ac generatiue.

*Retentiua.**Expulsiua.**Nota.*

### DE RAMIS.

MULTÆ formæ quas supra recensuimus pro ramis, huius arboris possent considerari, illæ potissimum quæ actionem passionemque significant, magis tamen generatio, corruptio, priuatio, renouatio, nutritio, & augmentatio pro negotio faciunt, quia per generationem fit entium transmutatio, quam insequitur corruptio, priuatio & cætera hic enumerata.

### DE FOLIIS.

IN cæteris arboribus folia metaphoricè considerantur, in hac uero propriè, quibus & metaphorica folia, accidentia scilicet conueniunt, quia in corporalibus omnibus substantiis sunt distincta, & ex consequenti in foliis etiam vegetantis naturæ, quæ substantiæ sunt.

### DE FLORIBUS.

QUEM AD MODO folia propriè considerauimus, sic flores & fructus debent considerari. Flos igitur hic concipitur quatenus per eius corruptionem fructus generatur, si ad fructum est in potentia; hoc placuit dicere propter flores illos, qui sunt complementum & finis arboris vel plantæ. Operationes quoque à vegetatioe prouenientes, ea ratione qua vegetat aut elementum est, loco florum sunt sumendæ, quia ad instar florum qui veri sunt, magis dicuntur effectibus intimæ quam reliqua extrinseca ad esse rem perducentia.



## DE FRUCTIBVS.

**F**RUCTUS veri huius arboris sunt, pirum, pomum, castanea &c. talia; metaphorici verò illa omnia sunt, quæ vegetant & à vegetante natura sunt producta; hinc est quod folia vera & flores hoc modo sunt fructus, quo etiam modo vulgares nominant dum de effectibus per comparisonem ad causas differunt. In hoc tamen est animaduertendum, quod vegetantia tantum sic fructus dicuntur; & ob id quæ secundum priorem considerationem fructus huius arboris erant, secundum alteram, elementalis tantum fructus existant. Ait Lullus, quod plantæ omnes in 4. classes sunt distributæ, sicuti & elementa; quoniam quædam participant in summo gradu qualitatem igni conuenientem, quædam humiditatem, nonnullæ frigidatē, & aliquæ siccitatem; de quib. oportet Medicos cōsulere. Huius arboris propriæ formæ nō multæ sunt, quæ ex super<sup>o</sup> descriptis possunt colligi; sicuti sunt.

*Nota.**In quatuor classes plantæ diuiduntur.*

- |                 |               |
|-----------------|---------------|
| 1. Augmentatio. | 6. Insectio.  |
| 2. Diminutio.   | 7. Digestio,  |
| 3. Nutritio.    | 8. Attractio. |
| 4. Germinatio.  | 9. Retentio.  |
| 5. Pullulatio.  | 10. Expulsio. |

## DE ARBORE SENSVALLI.

**H**ÆC arbor sub se animantia continet, animantibusq; conuenientia. Quia verò animantia duplices habent sensus, internos .s. & externos, hic consideranda sunt, in quantum exteriores sensus tantum participant. Propter altiorē gradum perfectionis animantibus conuenientem, triplex esse toti huic arbori attribuitur, vnum peculiare, & duo alijs quoque entibus non repugnantia; ueluti sunt elementale & uegetale.

## DE RADICIBVS.

**R**Adices sunt illæmet de quibus in arboribus præcedentibus dictum est, quæ triplicis sunt naturæ, ut satis patet. Quando radices uel aliz arboris alicuius partes constant ex pluribus naturis, tunc imaginandum est, quod naturæ illæ unicam constituent; quæ nomen sortitur ab arbore sub qua continetur, iuxta genus suum. Et tam radices quàm aliz partes arborum semper & in unaquaque arbore sunt considerandæ uniuersaliores, & quatenus sunt in potentia ad multa indiuidua

## DE TRVNCO.

**T**Runcus est commune & uniuersale corpus, sensu uniuersali præditum, in quo sunt particulatia corpora sensualia



potentialiter contenta; per sensum uniuersalem intellige sensum communem in prædicando, non in apprehendendo, quia de hoc in sequenti arbore tractabitur.

## DE BRANCHIS.

*Sex Branchæ*

**B**Ranchæ sunt sex sensus exteriores. scil. uisus, auditus, odoratus, gustus, tactus & affatus, de quibus breuiter nonnulla dicemus. Hos sensus considerare oportet nõ ratione operationis, quia operationes horum sunt flores, neq; ratione obiecti, quia obiecta sensibus percepta sunt huius arboris quidam fructus, sed quatenus sunt potentia operatiua. Vt autem horum sensuum natura magis cognoscatur, quædam etiam de obiectis dicemus, à quibus ipsi habent distinctionem. Visus inter sensus omnes est potentia magis cognoscitiua teste Arist. in prohemio Metaphisicæ, quia eius obiectum quod est Lux, lumen, & color, in pluribus reperitur subiectis, quàm obiecta aliorum sensuum. Huius potentia organum est oculus, sua natura chrystallinus & aqueus, in cuius centro uisio perficitur. Hic sensus necessarius est ad scientiam, quæ per inuentionem acquiritur. Oculus dicitur uidere, quia actum uidendi in se habet; Anima uidet, quia est efficiens. Potentia quoq; uisua uidet, quoniã est uisionis proximũ efficiens ac quasi instrumentale. Auditus, cuius vis est apprehendere sonos & voces, in quodã aereo consistit, quod membranulam quandam in aure positam circumdat, atq; species sonorum ab extrinseco agente causatas recipit; & ne destrui possit aereum illud specierum susceptiuum, à natura ipsa eius organum, auris nempe, dispositum est, ut per diuersas curuationes quæ in aure apparent, prius aer soni specie deferens frangatur, antequã aereum illud pertingat; quoniã si recto tramite aer commotus ad auditum deueniret, de facili eũ læderet: Hæc potentia est necessaria ad scientiarum habitus acquirendos, atq; ad memoriã & industriam comparandam. Olfaciendi modum supra manifestauimus, agentes de formis creatis conuenientibus; modo restat ut breuiter definiamus quid sit olfactus. Olfactus igitur est potentia sensitua odorum apprehensua, mediante aer vel aqua. Huius potentia organum in eodem loco ostendimus, quod dicitur participare de ignea natura. Olfaciendi modus non omnibus animantibus est idem; quædam enim per respirationem olfaciunt; sicuti homo & animalia perfecti; & hoc ideo istis accidit, quia nasi carunculae quodam operculo sunt munitæ, ne ab obiecto organum lædatur, quod per respirationem aperitur, ac olfactus perficitur; hinc est quod in aqua olfactus fieri non potest quia nec respirandi actus eo in loco conceditur. Animantia uero imperfecta, per respirationem

*De Visu. Ar.  
in prohemio.  
Metaphor.*

*Organum Visus.*

*De auditus.*

*De olfactu.*

*Olfaciendi  
modus di-  
uersus.*



nem non percipiunt odores, quoniam sunt semper odores illis presentes; ut de muscis, formicis & alijs id generis pater. De obiecto gustus multa diximus, ubi de saporibus verba fecimus; quid verò gustus sit, remanet explicandum. Gustus est potentia sensitiva ac saporis apprehensiva in lingua, mediante humido salivali. Per illam particulam (in lingua) positam in definitione, organum gustus vel potius membrum quo fit gustus ostenditur. Et ne ignores quomodo fiat gustus, scire te oportet, à cerebro quendam nervum descendere & per linguam totam esse extensum ad retis instar, qui nervus est situatus sub carne illa porrosa quæ in linguæ superficie existit; & cum sit totus plenus spiritu quodam fumali gustativo, ab humore salivali species saporum ad ipsum deferuntur, atque efficitur gustus. Tactus, cuius obiectum sunt qualitates primæ & secundæ, est potentia quædam qualitatis tangibilis apprehensiva per nervum quendam in toto corpore extensum, mediante carne. Unde scire debes maximam esse inter doctos viros controversiam de huius potentie organo; quidam inquirunt, esse cor, alij nervum, nonnulli carnem; cum omnibus idem poteris asserere; intelligendo cor esse radicale organum, non tactus solum sed aliarum etiam potentiarum; nervus verò est organum deferens species; caro suscipiens per instrumenti modum; caro denique nervosa est totale organum. De eius quoque unitate vel multiplicitate multæ sunt lites, quas sic poteris sedare. Plures sunt tactus non ratione diversarum formarum substantialium, sed ratione diversorum temperamentorum qualitatum; aliud enim est temperamentum faciens ad percipiendam caliditatem & frigiditatem, aliud respectu humiditatis & siccitatis. Affatus (inquit Lullus) est ille sensus, per quem manifestatio fit in sermone, qui est intra conceptus, & dat exempla. Sicut homo qui loquitur illud quod cogitat, & avis similiter; sicut etiam gallina quæ clamat ad filios suos.

*Gustus quid*

*Gustus quomodo fiat.*

*Tactus quid.*

*Tolluntur controversie de organo tactus.*

*De unitate & pluralitate tactus.*

*De affatu.*

### DE RAMIS.

**R**AMI huius arboris triplicis sunt nature, ut supra ostensum est de qualibet huius arboris parte; & sunt membra animalium tam interiora quam exteriora, in quibus fit renovatio per vegetativam potentiam, compositio per elementalem naturam, communicatio verò ad sensus omnes per sensitivam virtutem.

### DE FOLIIS.

**F**OLIA sunt eadem accidentia quæ & in prioribus arboribus reperuntur, sub triplici tamen ratione considerata;



& hoc ratione subiecti à quo denominationem aliquam recipiunt, cum igitur animalia triplicis sint naturæ, sic & accidentia in illis subiectata consimilis naturæ fiunt. Non ignoramus hanc contemplationem satis esse impropriam, sed sequimur Præceptorem.

### DE FLORIBVS.

Operationes omnes quæ ab animali prouenire possunt, quatenus habet esse, viuere & sentire extrinsecum, flores dicuntur. Nec plura dicit ratio vt de ijs dicamus, cum in quacunque ferè arbore, operationes loco florum habeantur.

### DE FRVCITIBVS.

FRUCUS sunt animantia omnia sub quadruplici ratione considerata, quorum quædam sunt ignea quia in igne viuunt, aliqua aërea, quoniam tali loco fruuntur, nonnulla terrestria, & quædam aquea; distinguuntur igitur in quatuor classes. Non est præsentis negocij animalium species numerare ac eorundem proprietates ostendere. Qui de ijs multa cognoscere cupit, legat Aristot. in libris de historia, de partibus, & de generatione animalium.

### DE FORMIS.

INTER formas animantibus conuenientes istæ quas modo deliniabimus locum habent, quarum cognitio nō parum utilis erit. Et ne duplex sit labor noster, formas vnà coniungere volumus, quæ animali conueniunt, quatenus est exterioribus sensibus ac interioribus sensitium.

- |                            |                          |
|----------------------------|--------------------------|
| 1 Appræhensio.             | 17 Delectatio.           |
| 2 Appetitus sensitiuus.    | 18 Dolor.                |
| 3 Assensus.                | 19 Desperatio.           |
| 4 Astutia.                 | 20 Displicentia.         |
| 5 Audacia.                 | 21 Diuisio complexorum.  |
| 6 Affatus actus.           | 22 Distinctio.           |
| 7 Æstimatio.               | 23 Discursus.            |
| 8 Auditus actus.           | 24 Electio impropria.    |
| 9 Abstractio.              | 25 Generare sibi simile. |
| 10 Cognitio vniuersalium.  | 26 Gustare.              |
| 11 Cognitio particularium. | 27 Iudicium.             |
| 12 Comparatio.             | 28 Imaginari.            |
| 13 Concupiscentia.         | 29 Ingenium.             |
| 14 Conseruatio specierum.  | 30 Ira.                  |
| 15 Complacentia.           | 31 Memorari.             |
| 16 Desiderium.             | 32 Odorare.              |

Quatuor  
animalium  
species.



- |                   |               |
|-------------------|---------------|
| 33 Phantasia.     | 41 Tristitia. |
| 34 Prosequutio.   | 42 Dormitio.  |
| 35 Fuga.          | 43 Vigilia.   |
| 36 Reminiscencia. | 44 Somnium.   |
| 37 Respiratio.    | 45 Spes.      |
| 38 Sentire.       | 46 Tactus.    |
| 39 Tangere.       | 47 Tremor.    |
| 40 Timor.         | 48 Visio.     |

### DE ARBORE IMAGINALI.

**P**ARTES omnes huius arboris sunt similitudines & simulacra præcedentium arborum, quo ad partes omnes, quatenus in potentijs interioribus recipiuntur. Potentiæ interiores sunt istæ, scil. sensus communis, Imaginativa, Æstimativa vel cogitativa, Phantasia & Memoria sensitiva; de quibus omnibus potentijs aliqua sumus dicturi, ut cognoscatur magis qualiter sint diiudicanda simulacra quo ad eorū distinctionem & etiam naturam. Et licet Lullus tantū de Imaginativa mentionem fecerit, non ob id sententiæ suæ refragamur, quia ut Agrippa in Commentarijs suis in artem eiusdem breuem inquit. Per imaginativam sunt accipiendæ potentiæ omnes interiores. Sensus communis talis dicitur quia ab eo potentiæ exteriores suas habent sensationes, atque illarum omnium species in eo recipiuntur, tanquam in illo quod habet unius sensus species, à speciebus alterius distinguere & segregare. Nervi quidam ab anteriori parte cerebri, in quo loco sensus communis sita est, descendunt ad organa sensuum, quibus sensationes fiunt, per quos pariter species in sensu communi recipiuntur. Huius sensus necessitas est, ut de sensuum exteriorum speciebus iudicium faciat, vnam ab alia distinguendo, atque ut sit aliqua potentia quæ cognoscat visum videre, auditum audire, & sic de reliquis sensibus; ipsi enim ob eorum materialitatem nequeunt supra se ipsos vel proprias operationes actum habere reflexivum; qui tamen sensui communi non repugnat. Imaginativa sensum communem statim sequitur, cuius proprium est species ab eodem sensu receptas conseruare & retinere; nam sensus communis tantum retinet species exteriorum sensuum dum in obiecta tendunt, in imaginativa autem diu conseruantur. Æstimativa hoc habet priuilegium ut imaginativam sequatur, atque ex sensatis speciebus in imaginativa reseruat intentiones eliciat non vilo sensu perceptibiles. Per æstimativam canis elicit ex specie obiecti in imaginativa reseruat, aliam speciem quæ inimicitiam vel amicitiam repræsentat, qua fugam vel accessum eligit. Æstimativa in homine co-

*De Sensus  
cōmuni na-  
tura ac eius  
necessitate.*

*De imagina-  
tiva eiusq;  
officio.*

*De æstimati-  
mativa vel  
cogitativa  
eiusq;  
officio.*



gitatiua nominatur cum excellentiorem in eo habeat gradum quàm in brutis; bruta enim hoc habent à natura vt ex sensatis, speciem talem vel talem insensatam eliciant; at homo cum collatione quadam vel discursu intentionem aliquam elicit. Quoniam verò certa experientia sumus edocti, nos interdù fabricare chimeras vel talia, quæ in rerum natura quoad se tota non reperiuntur aliquando plura in vnum coniungendo, & aliquando quædam alicui rei conuenientia remouendo: ideo potentiam quandam horum mirabilium effectricem constituunt philosophi, quam phantasia vocant. Nec harum potentiarum constitutio multum prodesset, si quædam potentia non daretur earum specierum conseruatricem, quæ ab æstimatediua vel phantasia sunt fabricatæ, ideo alia potentia dari necessarium est, quæ appellari potest Memoria sensitua; quæ non est eadem cum intellectiua vt quidam satis inefficaciter probant, ac existimant. Et sic completus est ordo valde admirabilis inter hæc potentias. De reminiscencia, nihil omnino dicere volumus, cum à memoria non differat, nisi in quantum memoriæ sunt propriæ species, reminiscenciæ verò alienæ. Secundum has potentias ea quæ in præcedentibus arboribus continentur, considerari poterunt.

### DE RADICIBVS.

Similitudines radicum realium arborum præcedentium, huius arboris sunt radices, vt tales similitudines formaliter vel virtualiter interioribus potentijs obiecta ostendunt. Addere has particulas necessarium fuit, scil. formaliter vel virtualiter, quia non omnes radices proprias habent species eas repræsentantes, sed virtute aliarum notæ fiunt; vt possumus de bonitate, veritate, & alijs dicere. Hoc idem de quibusdam alijs intelligere poteris, nempe de relationibus tam intrinsecus aduenientibus quàm extrinsecus, quæ ratione fundamentorum tantum cognoscuntur.

### DE TRVNCO.

ARBORIS imaginalis truncus ex suis radicibus constat; atque est similitudo confusa truncorum reliquarum arborum, de quibus tractauimus: in quo sunt similitudines truncorum particularium. Qui sint isti trunci per hunc repræsentati non est opus repetere, cum supra bis saltem hoc manifestatum sit.

### DE BRANCHIS.

Branchæ istius arboris sunt similitudines brancharum arborum, de quibus supra. Quoniam verò non omnes illæ branchæ

chæ

*De Phantasia eiusq; officio.*

*De Memoria sensitua.*

*Species formaliter vel virtualiter repræsentat.*

*Relationes quomodo cognoscantur.*



chæ suam possunt causare similitudinem, vt patet de potentia visiva, auditiva, gustativa, tractiva, & alijs in arbore sensuali numeratis & declaratis, ac etiã de branchiis vegetantibus; quia interiores potentie obiecta potentiarũ exteriorum cognoscunt, non autem ipsas potentias, nisi per operationes & actus; ideo ad actus vel ad talia quæ in earum cognitionem ducunt, recurrendum est.

### DE RAMIS.

QUEM AD MODO dictũ est de radicibus trunco & branchiis, sic de ramis aliarumq; partium dicendum est; huius enim arboris rami sunt ramorum simulacra arborum elementalis, vegetantis, ac sensitivæ.

### DE FOLIIS.

EA optimè sunt notanda quæ de radicibus branchiisq; dicta sunt pro foliorum meliori noticia. Folia sunt similitudines foliorum trium priorum arborum, pro vt in aliqua interiori potentia recipiuntur.

### DE FLORIBVS.

PRO floribus arboris elementalis, vegetalis & sensuales, operationes assignatæ sunt, quarum species in potentijs interioribus existentes, flores huius arboris sunt. Elementare igitur, vegetare ac sentire sensui communi vel alij potentiæ per species representata, loco florum sunt acceptanda.

### DE FRUCTIBVS.

NON est iterum opus ostendere quos fructus sub se descriptas arbores contineant, quoniam sufficienter explicati sunt; quorum omnium idola sensibus internis præsentia, arboris imaginalis sunt fructus.

### DE ARBORE HVMANALI.

NON incongruè arbor quam modo contemplari debemus, humanalis vocatur, quia de homine principaliter & secundariò de ijs quæ ad hominem pertinent in eius consideratione veniunt examinanda. Satis notũ est hominem duas in se naturas habere, quarum vna corporea est & altera spiritualis; ratione naturæ corporeæ cum habeat esse, vivere, sentire & imaginari, illa omnia quæ de quatuor præcedentibus arboribus quo ad partes omnes dicta sunt sibi conueniunt; de quibus verba non sumus facturi; monendo studiosos vt in applicatione eorum quæ sunt hominis, id obseruent quod in prædictis arboribus



ribus notatum est. Naturam eius spirituales secundum ordinem superius obseruatum manifestabimus, ostendendo quas partes sibi conueniant.

### DE RADICIBVS.

**H**UIUS naturæ radices spirituales sunt, cum & ipsa sit spiritualis; inter quas tamen non est annumeranda contrarietas, propriè contrarietatem accipiendo, quia in ea nec qualitates reperiuntur, in quibus fundatur. Si verò contrarietas consideretur pro repugnantia aliquorum duorū aliquod tertium diuidentium, ibi utique reperitur, ac in omnibus quæ sub ente continentur; & verius in ijs quæ ratione differentiarum & non modorum intrinsecorum ad inuicem pugnant.

### DE TRVNCO.

**T**RUNCUS est quædam substantia generalis & confusa, quæ plurimas substantias particulares ac spirituales, sed corporibus natas coniungi in ratione formæ informantis, dicitur potentialiter continere. Non absque ratione in hac definitione plures particulæ explicatiuæ sunt positæ, vt magis huius trunci natura cognoscatur, ac discrimen huius à trunco arboris angelicalis.

### DE BRANCHIS.

**N**ATURA hæc spiritualis tribus branchis constat, quarum prior intellectus est, posterior voluntas, & tertia memoria, de quibus breuiter aliqua explicabuntur. Intellectus inter potentias spirituales prior est ordine saltem naturæ, cui potentia interior ac exterior materialis, tanquam ancillæ deseruiunt: quoniam eius officium est omnia intelligere vt melius statim manifestabitur; & intellectionem à sensibus accipit. In intellectum agentem partitur ac possibilem. Agens proprium nomen retinet, ac vltèrius actiuus & productiuus dicitur: ideo intellectus est agens, quia materiales species à sua materialitate purgat, atque ad tantam spiritualitatem deducit, quod postea sunt aptæ vt intellectū possibilem moueant; actiuus quatenus patientem intellectum tanquam correlatiuū respicit; ob id de illo fertur quod eius proprium est omnia facere, quod intellige formaliter vel virtualiter: vel transmutare de ordine in ordinē, de ordine, sc. sensibiliū in ordinem intelligibiliū; possibilis verò proprium est fieri omnia; i. cuiuscunq; obiecti intellectionē & omnem recipere, licet omnem nō possit producere: Idem intellectus productiuus etiam nominatur, quia secundum Scoti sententiam ad causandam intellectionē concurrat, quia est eadem

*Inter huius arboris radices nō est contrarietas & quare.*

*Particula explicantes definitionē.*

*De intellectu.*

*Quare intellectus sit agens, actiuus & productiuus.*



res cum intellectu possibili. Intellectus agens in Angelo quoque reperitur, pro ut est actiuus & productiuus. In Deo verò, quatenus est tantum productiuus; ut verò agens est vel actiuus nequaquam: de primo patet, secundum verò sic faciliter ostenditur, quia in diuinis passum non reperitur, quod est actiui correlatiuum; & vno relatiuorum remoto, alterum quoque remouere necesse est. Possibilis intellectus recipit, patitur, & producit; recipit species, patitur ab intellectu agente, & producit cum specie notitiam. Voluntas potentia est quædam intellectu posterior, non loco vel situ, sed ordine naturæ vel præsuppositionis, quia huius virtutis operatio intellectus operationem præsupponit; nam ad voluntatem attinet (si bona est & diuinæ voluntati conformis) bonum eligere & malum abhorrere & refuturare si verò mala, omnia peruertit. Arbitrium verò ad intellectum spectat, quod ab electione præsupponitur. Istius potentie obiectum est ens sub ratione boni; siue bonum sit verum, siue simpliciter bonum, siue apparens, vel præfixum. Et licet in se sit cæca, tamen nobilior dicitur intellectu, ratione actus quem circa Deum elicit, ac etiam habituum quibus informatur. Memoria intellectiua est illa facultas quæ species ab intellectu receptas conseruat; & idem est quod intellectus cum specie intelligibili. Raymund. Lullus de his tribus branchis differendo eis applicat formas conuenientes, quam prolixitatem vitamus, cum modum applicandi formas entibus omnibus, tum per animaduersiones tum per explicationem tradiderimus.

*Intellectus  
possibilis re-  
cipit, patitur  
& producit.  
De Volūtate.*

*De Memo-  
ria.*

### DE RAMIS.

**R**AMI istius naturæ sunt concreta essentialia brancharum, scil. intellectiuum, intelligere, & intelligibile ipsius intellectus; volitiuum vel nolitiuum, velle & nolle, volubile vel nolubile, voluntatis; memoria verò memoratiuum, memorari, memorabile. Sub istis explicatarum potentiarum concretis essentialibus, omnia entia continentur, in ratione obiectorum, actu, potentia propinqua, & remota, apprahensibilium.

*Rami enu-  
merantur.*

### DE FOLIIS.

**S**UO modo naturæ isti folia conueniunt, quæ supra alijs arboribus conuenire docuimus; verum tamen est, quod absq; labore vlllo & melius cathegoriæ à nobis traditæ poterunt applicari. Si per cathegorias Aristotelis de spiritali natura finita & limitata differere volueris, quantitatem tibi sume discretã, qualitatem innatam vel acquisitam, relationem ad principium actiuus productiuum aut conseruatiuum vel etiam ad operatio-

nes



nes diuersasquam operatur, actionem per mouentis & infor-  
mantis modum, aut mouentis tantum; passionem quatenus  
primi principij recipit intellectionem; & sic de alijs suo modo.  
Si verò per omnes illas cathedrias nequaquam poteris descen-  
dere ad proprias confugito. Ray. Lullus hanc arborem exa-  
minando per categorias omnes, vbi de habitu differit artes  
mechanicas ac scientias enumerat; & ratio quæ mouit ipsam  
ad pertractandum de ijs hoc in loco & non in categoria de qua-  
litate, est, quia facultates istæ quas sub breuitate tangemus in  
fine huius operis, plures adiungendo, quas Agrippa in lib. de  
Vanitate scientiarum enumerat, habitus sunt artificiales, qui  
à naturalibus emanant. No'o discere an benè hoc in loco  
de ijs differuerit vel malè? & an eius ratio valeat? Secundum  
varietatem harum facultatum vel habituum earundemque  
proprietas multæ formæ poterunt huic arbori assignari,  
quatenus natura corporali ac spiritali constat. Habitus isti  
ferè omnes, homini conueniunt non ratione animæ tantum,  
sed coniuacti.

*Artes & fa-  
cultates om-  
nes in capite  
libri nume-  
rantur, &  
assignantur  
propria ob-  
iecta.*

### DE FLORIBVS.

Operationes ab anima rationali prodeuntes sibi que peculia-  
res & non coniuacti, sunt huius arboris flores quo ad alte-  
ram partem considerata. At operationes quæ anima concu-  
rente ac corpore, sunt flores arboris humanalis ex corporea &  
spiritali natura constitutz.

### DE FRUCTIBVS.

*Quare ani-  
mam anima  
non generet.*

NECESSÉ est hic fructus considerare, vt ab arbore hac ex  
vtraque natura constituta proueniunt, quoniam ratione  
spiritalis natura fructus nulli dari possunt in esse simpliciter  
producti, quia anima animam non generat nec producit, ob  
immaterialitatem qua se perpetuo conseruare potest in indiui-  
duo. Fiunt etenim in corruptibilibus generationes vt talia in  
æuum conseruentur, saltem in specie. Generat tamen anima  
secundum quid, quatenus obiectum quod potentia erat intel-  
ligibile, diligibile & recolibile, fit actu tale virtute intellectus,  
voluntatis, vel memoriæ, quarum virtualet saltem imaginem  
gerit, ad instar fructus respectu suæ causæ vel arboris. Fructus  
in arbore hac duplex à Lullo assignatur, quorum primus dici-  
tur existentiz, & alter operationis; prior est homo indiuiduus  
in esse productus, secundus hominem indiuiduū consequitur,  
scil. dilectio Dei, honor, seruitus &c. omnia, quibus erga Deum  
tenetur homo. Considera hominis proprietates & inde multas  
formas tibi construe; quasdam tamen assignare volumus, vt  
additum tibi pateat.



- |    |                           |                 |                              |
|----|---------------------------|-----------------|------------------------------|
| 1  | Intelligere cum discursu. | 23              | Portio superior.             |
| 2  | Reminisci.                | 24              | Portio inferior.             |
| 3  | Libertas.                 | 25              | Character.                   |
| 4  | Rationalitas.             | 26              | Dignitates variae.           |
| 5  | Risibilitas.              | 27              | Prudentia.                   |
| 6  | Fleibilitas.              | 28              | Experientia.                 |
| 7  | Disciplinatio.            | 29              | Redemptio.                   |
| 8  | Docendi actus.            | 30              | Attritio.                    |
| 9  | Loquutio.                 | 31              | Contritio.                   |
| 10 | Compositio intellectiua   | } vera & falsa. |                              |
| 11 | Diuisio intellectiua      |                 |                              |
| 12 | Portio superior.          | 32              | Pœnitentia.                  |
| 13 | Portio inferior.          | 33              | Satisfactio.                 |
| 14 | Syndæresis.               | 34              | Observatio legis.            |
| 15 | Conscientia.              | 35              | Originalis peccati infectio. |
| 16 | Prohibitio.               | 36              | Fides.                       |
| 17 | Promissio.                | 37              | Spes.                        |
| 18 | Præceptum.                | 38              | Scientiæ omnes.              |
| 19 | Comminatio.               | 39              | Artes omnes.                 |
| 20 | Ignorantia.               | 40              | Virtutes omnes morales.      |
| 21 | Error.                    | 41              | Vicia omnia.                 |
| 22 | Dubicatio.                |                 |                              |

**DE ARBORE MORALI.**

**I**N arbore morali virtutes & vitia considerari debent, quæ cum maximè ad inuicem opponantur distinctas habent species, operationes ac effectus, ideo & sub distinctis arboribus considerabuntur; quoniã verò virtus est habitus, vitiumq; privatio, quæ per habitus cognitionẽ cognoscitur, ob id primo de arbore virtutis erit sermo. Satis notum est sapientib. virtutem omnem aut acquisitam esse aut infusam, acquisitamq; partiri in intellectualem & moralem; hoc in loco intellectualis virtus quæ pariter in sapientiam, scientiam, intellectum, artem, & prudentiam non est consideranda, sed moralis, ac etiam illa quæ à Deo immediatè creatur. Tres priores intellectualis virtutis partes ( vt compendio se rãtione obiectorum omnes cognoscantur ) circa speculabilia versantur, nempe sapientia circa altissimas causas cuius proprium est de omnibus iudicare, scil. de ijs quæ ad intellectum & ad scientiam pertinent. Scientia verò circa conclusiones necessarias negotiatur, sed intellectus circa prima principia, quorum cognitio nobis naturaliter est indita; pro vt per terminorum simplicem apprehensionem statim incomplexi notitiam deuenimus; duæ autem posteriores circa operabilia versantur, ars circa factibilia, quæ transeuntẽ operationem exposcunt, prudentia verò circa agibilia, quæ imma-

*Diuisio virtutis.*

*De virtutibus intellectualibus eorumque obiectis. Quæ in hac arbore considerantur.*



nentem actum requirunt; qui actus talis dicitur, quia eius à quo elicitur est perfectio; de transeunte secus est, quoniam in exteriorem materiam recipitur ac passum perficit. Morales virtutes quædam sunt circa operationes, nonnullæ circa passionem, aliquæ sunt principales vel cardinales, & aliquæ minus principales. Infusæ sunt tres, scil. Fides, Spes & Caritas, de quibus omnibus inferius ubi de branchis tractabimus, multa scitu digna manifestabuntur.

### DE RADICIBVS.

**T**RADIT Lullus quod huius arboris radices sunt similitudines earum radicum, quæ humanalem arborem firmant, quinque modis consideratæ, videlicet sub ratione elementalī, vegetali, sensualī, imaginālī, & substantiæ spiritualis corpori vnibilis. Dat exemplum de bonitate morali quatenus partibus enumeratis conuenit, inquit ens est bonitas morali sub ratione elementalionis: sicut homo bonus qui vititur elementalitatis ordinatè, in quantum ipsa ad finem applicat, & dat exemplum de pane ac pecunia, ex quibus pauperibus eleemosynæ erogantur. Bonitas morali est similitudo bonitatis vegetalis, in quantum homines benè ipsis vegetatis vtuntur. Est bonitas morali sub ratione sensualitatis; sicut homo bonus qui benè vititur sentire in videndo & audiendo. Bonitas morali sub ratione imaginationis cōsistit, sicut homo bonus qui res imaginatur, & ex imaginatione trahit bona significata, quæ applicat ad bonas operationes. Et demū ad animæ intellectiue actus deueniens ait. Est bonitas morali recolere bonū, intelligere bonum, & diligere bonum; & bonitas est magna secundū magnitudinē horum actuū. Per ea quæ hoc in loco dicta sunt, verba Lulli recitando, non erit vlla ex parte difficile per reliquas omnes radices discurrere, non solum per comparisonem ad morales virtutes, sed etiam theologicas. Quando Raym. dicit: Huius arboris radices esse similitudines, non est accipienda similitudo pro relatione, aliter virtutes nō essent absolutæ, quod falsum est, cum in prædicamento qualitatis reponantur; sed pro fundamento similitudinis, & quatenus ab obiectis, circa quæ sunt operationes virtuosæ aliquam speciem vel denominationem recipiunt. Nota etiam quod largo modo arbor hæc dicitur morali ac partes suæ, quoniam in hac virtutes theologice considerantur, quæ ratione essentia, obiecti, ac principij à quibus habent esse, moralibus opponuntur.

### DE TRVNCO.

**E**X radicibus supra numeratis truncus consurgit, in quo potentialiter reliquæ arboris istius partes continentur, & nihil aliud

*Radices huius arboris sunt de quinque naturis. Verba Lulli recitantur.*

*Qualiter verba Lulli sunt intelligenda.*

*Nota.*



aliud est quàm mos confusus & generalis. Mos à quo virtutes morales denominantur, licet pro consuetudine possit accipi, quatenus ex consuetudine oritur inclinatio quædam, qua virtus appetitiua mouet & dirigit potentias omnes sibi subiectas ad rectè operandum; propriè tamè mos quandam inclinationè importat naturalem vel quasi naturalem in appetitu intellectiuo existentem, & ab hoc propriè morales virtutes nominantur.

*Mos duplex  
& à quo vir-  
tutes tales  
denominan-  
tur.*

DE BRANCHIS.

Branchæ sunt virtutes morales ac theologicæ; quarum prio- res nonnullæ sunt principales & quædam minus princi- pales, de quibus omnibus dicendum est aliquid. Prius tamen considerare necesse est morales virtutes non omnes intellectu- ales habitus prærequirere, sed quosdam, videlicet intellectum & prudentiam; intellectum utique quatenus per ipsum prima principia cognoscuntur tam speculabilia quàm operabilia; prudentiam verò pro vt consiliat & inquirit de ijs medijs quæ conuenientia sunt ad finem acquirendum, cui Philosophus adiungit Eubuliam, qua benè consilium elicitur, Synesim quæ secundum legem communem de agendis iudicat, & Gnomem qua de ijs iudicatur in quibus lex communis deficit: nec est imaginandum quod consilium ac iudicium prudentiæ attribu- ta sint actus eius immediati, sed quia ab ea perficiuntur medio virtutum sibi subiectarum, ideo ei coniunguntur. Et ne id omittamus quod principaliter intensionibus; de virtutibus istis nonnulla sunt cõsideranda. Nimis prolixi essemus si omnia quæ de virtutibus possent dici, etiam sub compendio, tradere vel- lemus. Priores quatuor virtutes de quibus immediatè tracta- bitur, dicuntur Cardinales, quoniam per illas humana vita dis- ponitur ac regulatur magis, quàm per reliquas. Harum virtu- tum sufficientia ex Beda habetur. Inquit enim; ob Adæ pec- cacum quatuor nobis vulnera esse inflata, ignorantiam, scil. cui aduersatur prudentia, malitiam, cuius oppositum est iusti- tia, infirmitatem, cui obstat fortitudo; atque concupiscentiam, cum qua temperantia pugnat.

*Intellectum  
& Pruden-  
tiã requirunt  
morales vir-  
tutes.*

*1. Eth.  
Eubulia, sy-  
nesis, Gno-  
men quid.*

*Beda.  
Sufficientiã  
virtutum car-  
dinalium.*

Iustitia primo loco à Raym. ponitur, qua homines reddunt unicuique quod suum est, iuxta D. Bonauenturæ sententiam iustitia interdum strictissime consideratur, & est rectitudo quæ obseruatur in pœna infligenda iuxta exigentiam culpæ; quan- doque communiter, & est rectitudo quælibet in anima qua ho- mo à malo declinat vel bonum operatur. Istis duobus modis iustitia non est virtus cardinalis, vt satis potest patere; sed pro- priè iustitiam accipiendo, tunc est virtus illa de qua quærimus, & quam ex intentione Lulli definiuimus.

*De Iustitia.  
In 3 senten-  
tiarum dist.  
33. quest. 1.*



Ex dictis supra, satis patet quid prudentia sit, quæ licet essentialiter sit intellectualis virtus, tamē secundum materiam cum moralibus numeratur. Raym. sic Prudentiam definit. Prudentia est illa virtus ratione cuius homines sapientes eligunt ea quæ sunt bona, & vitant ea quæ sunt mala. Multa in huius definitionis explicatione essent dicenda, si prolixitatem non vitaremus, hoc tamen scire decet, electionem tantummodo ex consequenti prudentiæ convenire, in quantum electionem per consilium dirigit. Octo sunt partes prudentiam integrantes, quarum quinque sibi conveniunt ut est cognoscitiva, scilicet memoria, ratio, intellectus, docilitas ac solertia, tres verò ut præcipit, scilicet providentia, circumspectio, & cautio, de quibus tractat D. Thomas in secunda secundæ.

Fortitudo secundam Lullum est habitus & virtus, per quam homines sunt fortes contra vitia, & nituntur ad lucrandum virtutes. Huic definitioni alludit Tubj descriptio, inquentis. Fortitudo est considerata periculorum susceptio, & laborum perpassio. Hæc virtus magis à potestate perficitur quàm ab alijs radicibus, quia principalior eius actus est immobiliter sistere in periculis, quod potestatem maximam dicit, vnde & Aristot. vult quod in sustinendo tristitia maxima, aliqui fortes dicantur sed minus principaliter; Non omnis fortitudo est Cardinalis virtus, quia si pro fortitudine accipiatur firmitas quædam animi, tunc conditio est quædam omnium virtutum quarum proprium est firmiter & immobiliter operari ut inquit D. Thom.

Per temperantiam reprimuntur concupiscentiæ & delectationes, non quæ sunt secundū rationem, sed quæ rationi aduersantur, & quatenus tales delectationes sunt carnales; vnde Isidorus ait, Temperantia est qua libido concupiscentiaq; refranatur, & Arist. vult temperantiam esse delectationem tactus moderatiuam. Nec ea quæ à D. August. dicuntur his refragantur, quando ait. Temperantia est in coercendis ijs quæ nos auertunt à lege Dei, quoniam ibi loquitur de temperantia, quæ est generalis virtus & non specialis. Certum namq; est quemlibet sensum suam habere delectationem, quæ interdum inordinata est atq; rationi repugnans, quæ si reprimatur, hoc fit merito temperantię largè sumptæ. Propriè autem sumpta temperantia est circa tactus passiones ut dictum est, vel circa tactum principaliter & secundariò circa reliquos sensus. Hæc virtus æqualitate potius quàm cæteris radicibus fruitur ut tradit Lullus, quia cum iustitia maximam habet concordantiam, cuius proprium est æqualitatem possidere. Virtutes istæ de quibus loquuti sumus proculdubio acquisitæ sunt, si in adultis eas

consi-

*De Prudentia.**Definitio Lulli.**Octo partes prudentia.**quest. 48. per totum.**De Fortitudine.**Lib. 3. Ethic.**2a. 2a. quest. 223. art. 2.**De Temperantia.**Lib. Etym. lib. 3. Ethic. c. 1. in lib. de mor. eccl. ca. 19.*



consideremus, quas tamen Deum largiri in baptismo credendum est, cum totam perficiat animam, non in his tantum quæ finis sunt, scil. Fide, spe & charitate, sed etiam in ordinatis ad finem, quæ admodum sunt prædictæ virtutes.

Quemadmodum homini respectu eorum quæ eius facultatem non excedant virtutes conveniunt, quibus mediantibus potest operatum finem consequi, ita & respectu eorum quæ eius capacitatē excedunt ad quæ tamen ordinatur, quædam ei quoque debent convenire, quibus illa possit attingere. Quæ humanam excedant facultatē est ipse Deus ac beatitudo, intellectu & voluntate attingibilia, quare aus intellectu per fidem informatur, ut ea quæ lumine naturali percipi nequeunt, vera esse credat, & voluntas per spem in Deum moveatur, ac per charitatem eo fruatur. Hæc dicere volumus ad ostendendam virtutum theologicalium sufficientiam, sed quid quælibet sit modo ostendetur. Fides, spes & charitas ideo theologice virtutes dicuntur, quoniam theologice obiectum respiciunt, nempe Deum super omnia benedictum, & in hoc nullam inter se habent maioritatem vel minoritatem, licet ea ratione qua una propinquior est Deo alia, secus opinandum sit; nam charitas quæ amato amans coniungit, fide ac spe perfectior est, cum istæ quandam distantiam significant, illa verò coniunctionem, propter quod de ipsa dicitur. Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.

Fides, ut ait Lullus, est virtus quæ compellit intellectum ad affirmandum vel negandum positivè illa quæ vera sunt. Hic Lullus non considerat fidem theologicam, sed indifferentem ad acquisitam & infusam; quoniam de omnibus quæ vera sunt non est fides infusa, sed de Deo tantum, tanquã de obiecto formali, & de traditis in sacra scriptura ut de obiecto materiali. Fidem igitur veram & infusam optimè D. Paulus definit quando inquit, Fides est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium; nam ut ait D. Thom. Cum actus fidei sit credere ex voluntatis imperio, debet significare ordinem ad obiectum intellectus & voluntatis; obiectum voluntatis est res sperata, fidei verò non visa: quæ duo obiecta explicantur, cum dicitur: Substantia. i. prima inchoatio rerum sperandarum in nobis per assensum fidei; & argumentum non apparentium. i. eorum quibus firmiter assentiendo adhæremus. Quia verò ex frequentatis actibus credendi sperandi ac diligendi Deum, habitus illis actibus conformes generantur, ideo præter infusas hæc virtutes, acquisitas quoque in homine esse affirmare debemus.

*Humanam facultatem excedentia.*

*Virtutes theologice quomodo se excedant & non.*

*1. Ioan. 4.*

*Lullus non accipit fidem proprie.*

*Ad Heb. 11. 2a. 2a. quest. 4. art. 1.*

*Fides, spes & charitas acquisita.*

Spes cum ex sententia D. August. sit folius boni ardui non



*In Enchir.  
cap 8.  
De Spe.*

*Spes quid se-  
cundū Lul-  
lum.*

*D. Thom. 2a.  
2a. q. 17. ar. 7.*

*De Charita-  
te.*

*1. Cor. 13.*

*De connexio-  
ne virtutum  
secundum  
Lullum vide  
exempla.*

ad alium sed ad se pertinentis, ideo ad voluntatem pertinet, cuius proprium est in ente sub ratione boni ferri; & non in quocunque ente bono, sed in illo quod omnem habet bonitatem & perfectissimo modo: hinc est quod Lullus spem definiens, ait. Spes est virtus quæ facit hominem sperare finem quem desiderat, ad quem venire credit plus per potestatem & bonitatem Dei, aut alterius, quàm per suam bonitatem & potestatem; & idem de magnitudine, duratione, sapientia & voluntate. Nec putare debes, quod quando Raym. ait Aut alterius: quod per hoc velit intelligere in ratione finis, sed in ratione excitantis, cuiusmodi sunt angeli custodes, & boni homines; vel præsupponentis, quia fides prærequiritur speranti; unde & Glossa super illud Matth. 1. Abraham genuit Isaac: inquit. i. Fides spem. Et quod Raym. loquatur de vera spe, patet, quando ait. Ad quem venire credit plus per potestatem &c. quàm suam.

Charitas ad voluntatem quoque pertinet, cum eius obiectum sit Deus sub ratione diligibilitatis, vel proximum ut in Deo. Mandatum habemus à Deo, ait Ioan. qui diligit Deum, diligit fratrem suum. Per hanc enim virtutem ut supra diximus, homo Deo coniungitur, & ob id virtutum omnium est excellentissima, ut etiam D. Paulus testatur ubi inquit. Maior horum est charitas. Nec aliqua virtus simpliciter vera sine charitate esse potest, ut idem Paulus eodem loco ait. Si distribuero &c. Charitatem &c. nihil mihi prodest. Raym Lullus connectit quamlibet virtutem cardinalē cum qualibet cardinali ac theologica, quatenus una aliam informat; quod ut melius cognoscas, exempla quædam subijcere placuit. De Iustitia & Prudentia ait. Prudentia disponit iustitiæ obiecta sua, in quantum inquit licita & illicita, quia est operatio intellectus, qui illa intelligit. De Fortitudine & Iustitia. Fortitudo iustitiam fortificat contra iniuriam tunc cum homines fortitudine utuntur. Sicut iudex cum tentatur ut ob pecuniam det falsum iudicium, ipse considerat fortitudinem multiplicatam ex bonitate, magnitudine, sapientia, voluntate, virtute, veritate & gloria, quæ meliora sunt quàm pecuniæ, & tunc contradicit iniuriæ & fortis remanet in suo iudicio. De Iustitia & Fide. Vult Iustitia quod intellectus seipsum in credendo vera & alta captiuet, licet ea non intelligat. De Iustitia & spe. Iustitia præparat spei sua obiecta, in quantum iustum est, quod homines maiorem spem habeant in potestate Dei, & in eius bonitate, magnitudine, & voluntate, quàm in potestate creatâ. Per horum cognitionem tu ipse poteris per omnes virtutes discurre-  
re connectendo quamlibet cum omnibus. Tractat Lullus de quibusdam alijs virtutibus moralibus quæ numero sunt 16. &

à prio-



à prioribus dependent, de quibus breuissimis verbis aliqua dicemus.

1. Sanctitas est illa virtus, per quam sancti sunt innocentes & à peccatis mundi.
2. Patientia est virtus, per quam homo patienter omnia sustinet.
3. Abstinencia est, per quam homo ab illicitis cibis se abstinet.
4. Humilitas est, per quam homo propter Deum se nihil esse reputat.
5. Pietas est virtus, qua cordis bona affectio se extendit ad parentes & patriam, cultum eis exhibendo.
6. Castitas est virtus, per quam concupiscentia à ratione castigatur.
7. Largitas vel liberalitas est virtus, quæ consistit in medietate quadam, circa pecunias vel diuitias.
8. Legalitas vel fidelitas est virtus, quæ id obseruare facit quod promissum est.
9. Per constantiam, homo perseuerat in bono proposito.
10. Per diligentiam, quæ charitatis sunt homines quærunte ac pigritiam pellunt.
11. Suauitas homines ligat charitatis vinculo, vt patientiam & humilitatem amplectantur.
12. Conscientia ratione timoris id causat, vt homines bonum faciant malumque vitent.
13. Timor id efficit, ne Deum aut ad ipsum ordinata homines offendant.
14. Contritio est dolor perfectus de peccatis commissis, cum proposito non peccandi amplius.
15. Verecundia, licet non sit proprie virtus, tamen est passio quædam laudabilis, qua homo turpitudinem timet.
16. Obedientia est virtus, qua homo liber se alterius voluntati subijcit propter Deum.

### DE RAMIS.

**P**ER ramos aliarum arborum potest haberi cognitio ramorum huius arboris, sed potissimum per ramos arboris imaginalis. Quos si distinctius cognoscere cupis, habeas potentias virtutibus informatas, à quibus conformes proueniant operationes, terminenturque ad obiecta quadam; & sic habeas virtuosæ arboris ramos, qui ad virtutum multiplicationem pariter multiplicari debent.



*DE FOLIIS.*

**F**OLIA, sunt accidentia de quibus supra multoties loquuti sumus, conformiter virtutibus applicata. Non debes imaginari virtutem positionem locumq; habere proprie, cum sit spirituale quoddam accidens; hæc tamen habet eo modo quo in **C**ategorijs transcendentissimis explicatum est.

*DE FLORIBUS.*

**F**LORES virtutum sunt merita acquisita; & ad virtutum distinctionem sequitur meritorum vel florum distinctio; imò ratione radicum, quæ vario modo virtutes perficiunt, flores diuersi possunt colligi, ab vna eademq; virtute pullulantes.

*DE FRUCTIBUS.*

**D**UO genera sunt fructuum huius arboris. primum est merces meritorum, quæ variatur ad variationem virtutum, secundum est seruitus ac honor Deo exhibitus virtuosè.

*ARBOR VITIORVM.*

**I**N hac arbore considerantur vitia virtutibus opposita priuatiuè; quorum cognitio non parum proderit ad virtutes cognoscendas, de quibus actum est: nam oppositum in oppositi cognitionem aliquam, deducit.

*DE RADICIBUS.*

**H**UIUS arboris radices principaliores quatuor sunt, videlicet malitia quæ bonitati opponitur, stultitia sapientiæ, falsitas veritati, priuatio finis, fini positiuo; quæ tamen ab alijs radicibus exceptis bonitate, sapientia, veritate, & fine informantur, ac eas informant; vnde non minus verum est dicere. Stultitia magna, durans, appetibilis, cognoscibilis, &c. quàm magnitudo stulta, falsa, mala, ac sine priuata: discutrendo per radices omnes tam absolutas quàm respectiuas, hæc arbori conuenientes.

*DE TRVNCO.*

**T**RUNCUS ex radicibus suis constat, qui dicitur mos confusus & generalis sed paruus, in quo particularia vitia sunt potentialiter contenta, quæ per liberum agens ad actum reducuntur, pro vt voluntas inordinata id quod deberet refutare, eligit.



## DE BRANCHIS.

PER ea quæ de branchis arboris virtuosè dicta sunt habent euentiam satis claram, quæ de huius arboris branchis possunt dici, cum opposito modo sint considerata. Septem principales branchie assignantur, videlicet Gula, cui abstinentia opponitur; Avaritia cui liberalitas vel largitas aduersatur; Luxuria quæ per continentiam tollitur; Superbia per humilitatē destruitur; accidia per diligentiam; Inuidia per charitatem; & Ira per mansuetudinem vel suauitatem; de quibus omnibus poteris discurre conuictendo quodlibet vitium cum quolibet, quemadmodum de virtutibus dictum est. Ab his pullulant ac emanant vitia alia quæ nominare placet cum suis oppositis. Iniuria est contra iusticiam, in discretio contra prudentiã, debilitas cordis contra fortitudinem, intemperantia contra temperantiam, infidelitas fidelitati opponitur, desperatio spei, crudelitas charitati, traditio defensionis, homicidium dilectioni proximi, latrocinium liberalitati vel temperantiæ, quia per gulam vt plurimum latrocinium committitur, mendacium veritati, maledictio charitati, impatientia patientiæ, inconstantia prudentiæ & fortitudini, immundicia sanctitati, pigritia diligentia, & inobedientia obedientiæ.

*Numerantur  
vitia cū suis  
oppositis.*

## DE RAMIS.

RAMI, sunt essentialia correlatiua vitiorum, quibus vitia generantur; sicuti gulæ rami, sunt actiuis inordinatus appetitus comedendi, actus, & correlatiuum; sic & de reliquis vitijs sentiendum est.

## DE FOLIIS.

FOLIA sunt nouem accidentia, vitijs conuenienter applicata; quorum nonnulla & vitijs naturam solent augere atque mutare; vt satis notum est optimis Canonistis. Si omnia accidentia vitijs omnibus adaptare non poteris, recurre ad transcendentiissimas categorias.

## DE FLORIBVS.

FLORES sunt culpæ à vitijs manentes, quibus homines Deo inimici efficiuntur, atque Diabolo amici; ob culpas homo sic induratur, vt diuinæ gratiæ repugnans in maiora scelera indicat; vnde non inconuenienter dicitur, peccatum peccatum petit.

## DE FRUCTIBVS.

DUPLEX fructus ex culpa sequitur, vnus qui est pœna quam interdum in hoc mundo ac in alio peccatoribus Deus



inculit, alter qui principalior est, & dicitur bonum vel diuinæ iustitiæ effectus ac manifestatio.

### DE ARBORE IMPERIALI.

**Q**UÆ hac in arbore veniunt consideranda, satis nota sunt ex d. ctis supra in breui huius arboris descriptione. Ea ratione qua Imperator homo est, sibi omnia conueniunt quæ in prioribus quinque arboribus dicta sunt; quatenus bonus vel malus sub arboris moralis vtraque parte consideratur, & quatenus Imperator hoc in loco contemplandus est, & hoc modo tantum examinabimus.

### DE RADICIBVS.

**R**ADICES sunt illæ de quibus in præcedentibus arboribus dictum est, sub ratione tamen imperialis maiestatis consideratæ; quæ si bonæ sunt moraliter vel malæ, & partes omnes huius arboris similes sunt iudicandæ.

### DE TRVNCO.

**T**RUNCUS est vniuersalis persona, cui regimen vniuersale conuenit, in qua potentialiter sunt inclusa particularia regimina, quibus suo modo conueniunt omnes huius arboris partes. Particularia regimina in trunco contenta, reducuntur ad actum per Imperatorem, qui vtitur radicibus vt quælibet à qualibet est informata.

### DE BRANCHIS.

**B**RANCHÆ sunt decem, scil. Barones, qui nobilitatem Imperatoris protegent atque defendunt. Milites quorum vi ac virtute non solum Imperatoris nobilitas sed eius persona ac subditi defenduntur ab hostibus. Burgenses ad quos pertinet ciuitates regere, & propria priuilegia ac Imperatoris conseruare. Consilium requiritur ad determinandum ea quæ pro imperio sunt necessaria. Vicarij & Castellani, vt redditus congregent. Iudices, quorum proprium est de litibus & controuersis verum iudicium afferre. Aduocati, qui causas explicant litium iudicibus, ac partem veram tuentur. Sagiones vel nunciij, ad quos spectat reum ante iudicem vocare, ac etiam punire, iuxta iudicis vel Imperatoris decretum. Inquisitores vt inquirent, an à ministris vel alijs agatur contra Principem vel Imperatorem aut subditos. Et tandem Confessarius, ut absque timore Imperatorem reprehendat ac ei persuadcat, vt ea tantum quæ iustitiæ sunt, quærat.



## DE RAMIS,

**P**RÆTER ramos in arbore præcedenti descriptos & præcipuè in prima parte, alij septem assignantur, scil. Iustitia, ut quod suum est, unicuique Imperator reddat. Amor, quo debet sibi creditos prosequi, ut vicissim ab illis diligatur. Timor, prius erga Deum, & etiam ne subditis aliquid iniustum imponatur. Sapientia, qua sciat populum suum regere, & discrimen constituere inter bonum & malum, iustum & iniustum. Potestas, qua potens sit in omni sua operatione. Honor, propter quem omnes eum venerentur ac timeant. Et denique Libertas, qua bonum libere operetur & malum vitet.

## DE FOLIIS, FLORIBVS,

*Fructuq;.*

**F**OLIA huius arboris sunt antiquæ constitutiones, consuetudines, leges, & decreta, quæ in vnoquoque contractu vel simili operatione obseruari debent; id semper attendendo quod adsit quantitas conueniens, qualitas, relatio, actio, passio, situs, habitus, ubi & quando. Sicuti si aliquis rem aliquam venderet, prius ut dixi, sunt obseruandæ constitutiones, & postea tam ex parte vendentis quàm ementis summa præcij pro quantitate; pro qualitate, bonitas rei venditæ atque pecuniarum; pro relatione emptor & venditor, sic de alijs folijs considerando. Flores sunt iudicia Imperatoris suorumq; ministrorū, omnesq; Imperatoris actiones ac operationes relatæ ad sui populi utilitatem, vel regimen, flores quoque possunt dici, idem censeatur de operationibus ministrorum eiusdem. Fructus est pax gentium, ut in pace viuant subditi sui, quò melius Deum diligere possint, eiq; seruire ac obedire. Considerauimus hac arborem quatenus bona, si malam considerabis esse, te ipsum gubernare poteris per ea quæ in secunda parte arboris moralis dicta sunt. Nonnullæ assignantur formæ generales huic arbori conuenientes, quas Lullus tradit.

*De Floribus.**De Fructu.*

Emptio.

Venditio.

Commodatum.

Redditio.

Depositum.

Promissio.

Probatio.

Confessio.

Negatio.

Dubitatio.

Statutum.

Procuratio.

Ablatum.

Legatum.

Accusatio.

Excusatio.

Permutatio.

Perditio.



Inuentio.	Blasphemia.
Datum.	Inobedientia.
Receptum.	Mendacium.
Conditio.	Indigentia.
Tormentum.	Fortuna.
Vituperium.	Voluntarium.
Deceptio.	Ignorantia.
Diffamatio.	Oblitio.
Furtum.	Libertas.
Luxuria.	Seruitus.
Proditio.	Præsumptio.
Homicidium.	

### DE ARBORE APOSTOLICALI.

QUÆ in arbore ista sunt considerata, manifesta relinquuntur ex his, quæ in typo arborum manifesta sunt.

### DE RADICIBVS, TRVNCO, & Ramis.

**R**ADICES sunt Cardinales virtutes ac Theologicæ, informatae à radicibus vniuersalioribus, bonitate, scilicet magnitudine, & alijs omnibus. Supra manifestatum est quod eodem modo radices non sunt omnibus arboribus applicandæ sed secundum exigentiam earum, ideo nõ est opus repetere. **TRUNCUS** est persona generalis, ratione spiritualis potestatis, & est summus Pontifex, Petri successor & Iesu Christi Vicarius; in quo cæteræ dignitates ecclesiasticæ continentur potentialiter, reducunturq; ad actum per optimum radicum vsum summi Pontificis. Hic truncus potest considerari quatenus est bonus vel malus, cui & conformes radices sunt applicandæ; non quod natura sua vnquam possint esse malæ, sed ratione prauus usus. **BRANCHÆ** sunt Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Priores, Ministri, & aliæ personæ communes ecclesiasticæ, quorum officium est, curam eorum gerere qui sibi crediti sunt. Est optima brancharum & trunci concordantia, qua mediante, inter hæc duo confurgit perfectio reliquarum radicum, contrarietate excepta, hoc supposito quod concordantia sit bona. **RAMI** sunt quam plurimi, inter quos etiam sunt illi septem quos in arbore imperiali explicauimus, proprii vero sunt decem præcepta decalogi, scilicet. Vnum Deum colere, Sabbatum sanctificare, Nomen Dei in vanum non assumere, Patentes venerari, Testimonium falsum non perhibere, Non furari, Non occidere, Non luxuriam, Non desiderare alterius

*Præcepta decalogi.*



alterius uxorem, Neque rem proximi. Honorum præceptorum sufficientiam optimè manifestat Ecclesiæ doctor & Cardinalis D. Bonaventura; Nam cum præcepta duplicia sint videlicet primæ tabulæ & secundæ tabulæ. i. quædam respectu Dei, & nonnulla respectu hominum; omnia actu perficiuntur; qui actus si erga Deum est tunc actus dicitur operis vel oris aut cordis; si operis habetur adorationis præceptum, si oris, illud quo prohibetur Dei vana inuocatio; si autem cordis, aliud habetur de Sabbathi sanctificatione. Si verò talis actus est erga homines, aut est secundum innocentiam aut beneficia exhibenda, si hoc modo, præceptum de parentum reuerentia habetur; si primo modo, vel est secundum actum cordis, oris aut operis; si tertio modo, aut est pro conseruatione proximi, & tunc habetur præceptum de non occidendo, vel speciei, & sic prohibetur luxuria, vel denique operis præceptum est de bonorum conseruatione ac possessione, vt est illud Non furari; si oris est, illud habetur, Non falsum testimonium perhibebis; si iuxta cordis actum vel est de non concupiscenda alterius uxore, vel re. Et sic est expletus numerus denarius præceptorum. Aliter Ray tradit præceptorum sufficientiam quam pro nunc omit-  
titus. In veteri lege fuerunt ceremonialia & iudicialia præcepta, que post Christi passionem fuerunt euacuata, diuersimodè tamen; priora sic, quod non solum sunt mortua, sed etiam obseruantibus mortifera, sed posteriora vtique mortua sunt non tamen mortifera, nisi subditi iussu Principis illa obseruarent tanquam habentia vim obseruationis ex veteris legis institutione, quia tunc etiam mortifera essent. In veteri quoque testamento multa sunt scripta & tradita præcepta, que moralia vocantur, que ad ea decalogi redacuntur, sicut liquet videre in pluribus scripturæ locis, que sunt obseruanda non ex vi institutionis, sicut iudicialia & ceremonialia in veteri lege, sed quia habent efficaciam ex dictamine naturalis rationis.

*Lib. 3. sententiar. dist. 37. quest. 1. Sufficiens præceptorum ostenditur.*

*De præceptis Veteris legis.*

*Deut. 18. 24. 15. 13. Leuit. 14. 19. 18. 25. Exod. 23.*

### DE FOLIIS.

**H**Uius arboris folia quædam sunt propria & quædam communia; propria sunt septem Ecclesiæ sacramenta & regulæ omnes in iure canonico scriptæ, communia verò eadem sunt de quibus in aliis arboribus dictum est. Non conceditur vt diutius Augustæ maneam, propter impedimenta quædam quibus sum coactus iter arripere. Dico igitur quod propter hæc coactus sum breuibus hoc opus absoluerè, atque propriæ voluntati morem non perere. Si hoc non esset, de Sacramentis multa & quidem digna traderem, & in reliquis

*Quare autem in sequentibus breuis futurus sum.*

*senten-*



sententiam Lulli fusius explicarem; diuina tamen adiuuante gratia, breui tempore aliorum desiderio meoq; satisfaciam, vbi artem Raym. breuem explicaui. Ecclesie sacramenta sunt septem, quæ tantum nominabo, & ad quid sint instituta ostendam. Baptismus ordinatus est ad tollendum peccatum originale, Confirmatio in remedium debilitatis spiritualis. Eucharistia contra facilitatē ad peccandum. Pœnitentia contra peccatum actuale. Extrema vñctio contra peccatorum reliquias. Ordo contra dissolutionem multitudinis, & Matrimonium contra carnalem concupiscentiam.

### DE FLORIBVS, ET FRVCTV.

**F**LORES, sunt quatuordecim articuli nostræ fidei, in Symbolo apostolorum explicati, quorum septem pertinent ad diuinitatem, & septem ad incarnationis mysterium. Priora sunt hæc, scil. de vnitæte Dei, de personarum trinitate, tribus articulis explicata, de creatione, de sanctificatione, de resurrectione & æterna vita. Posteriora verò sunt de Christi conceptione, natiuitate, passione, morte, sepultura, de descensu ad inferos, de resurrectione, de ascensione & de aduentu ad iudiciũ. Sub vnitæte & omnipotentia omnia diuina attributa continentur. Nec inconueniens est, vt quàm plurima naturali ratione cognoscantur, vt de sapientia, bonitate & alijs notum est, quia non sub omni ratione cognoscuntur; naturaliter quoque vnitætas Dei inuestigatur, vt optimè Scotus deducit, & tamen de ea fides habetur. Nec mirari debes plures esse articulos de Filio ac Spiritu, quàm de Patre, quia Filius & Spiritus sanctus quibus conuenit ad extra mitti, cum habeant esse ab alio, missi sunt ad sanctificandum totam creaturam intellectualem, de quibus & plura sunt credenda. **FRVCTVS** est saluatio gentium; & ordinatum ministerium, vt Deus super omnia benedictus honoretur.

### DE RADICIBVS, TRVNCO, arbis Cœlestialis.

**I**STIUS arboris radices sunt eadem quæ in arboribus supra descriptis sunt consideratæ, scil. Bonitas, Magnitudo, & cæteræ, Contrarietate excepta, quoniam cœlestia corpora alicuius qualitatis corruptiui non sunt susceptibilia. Truncus est quoddam corpus commune, natum ad motum circulaarem ac perpetuum, nequaquam corruptibile virtute agentis creati, cui intelligentia secunda assistit, atque in ratione mouentis est coniuncta. In hoc corpore potentialiter continentur plura corpora

*D. Tho. in 3.  
par. qu. 65.  
art. 1.  
De Sacra-*

*Quatuordecim articuli  
fidei.*

*II. Sententiarum dist. 2.  
qu. 3. Quare  
plures articuli  
de Filio &  
Spiritu sancto  
sint quàm  
de Patre.*



corpora particularia, quæ solū diuina virtute possunt ad actum reduci, quemadmodum eadem virtute hæc quæ modo sunt, ad existentiam deducta fuere. Quia verò Raym. tantum de septem Planetis mentionem facit, ac præter hos secundum veritatem sit cœlum Empyreum. Primum mobile, Cœlum Chry-  
*Empyreum.*  
 stallinum & Firmamentum; ideo placuit eos nominare. Em-  
*Primum mo-*  
 pyreum à maximo splendore quasi igneo dictum est; in quo  
*bile.*  
 sunt beatissimi spiritus, ac sanctissimæ Tridis sedes, quod intel-  
*ChrySTALLINŪ,*  
 lige ratione dignitatis, vel principalioris operationis. Sequitur  
*Firmamen-*  
 hoc primum mobile; ideo sic nominatur, quia à seipso moue-  
*tum.*  
 tur, quatenus intelligitur cum intelligentia; suus q̄; motus per-  
 ficitur spacio 24. horarum, quo motu cæteri orbis mouentur.  
 Chrystallinum, ratione perspicuitatis ac transparentiæ sic dici-  
 tur, quod stellis caret. Firmamentum verò stellis fixis & in-  
 numeris abundat, quod Astronomi primum mobile vocant.

BRANCHÆ.

**I**MAGINATI sunt Astronomi in cœlesti sphaera, præter  
*Latitudo*  
 multiplices circulos eam æqualiter vel inæqualiter diuiden-  
*Zodiack.*  
 tes, circulum esse quendam eandem in partes æquales diuiden-  
 tem, obliquè tamen, cui solum latitudo adscribitur. Due decim  
 est graduum, quorum sex à reliquis distinguuntur per lineam  
 quandam, quæ Ecliptica vocatur, quia sole & luna per hanc  
*De linea*  
 mouentibus ecclis causatur; vocatur etiã via solis, quoniam  
*ecliptica.*  
 nullus planetarum à sole, potest totum suum motum in hac  
 linea perficere. Iste idem circulus longitudinem habet duo-  
*Quare signa*  
 decim signorum, quorum quodlibet triginta graduum longi-  
*Zodiack anti-*  
 tudinem possidet. Hæc signa nomina sumpserunt quorundam  
*malsum no-*  
 animantium, ob stellarum multarum variam dispositionem,  
*minibus no-*  
 quæ ad instar illorum animalium sunt in cœlo apparentia; aut  
*minentur.*  
 ratione diuersarum qualitarum, quas in hæc inferiora influunt,  
 quæ conspiciuntur habere aliquod in huiusmodi animantibus  
 dominium. Horum signorum nomina ostendemus; qui verò  
 numerum stellarum ex quibus integrantur, cupit cognoscere,  
 ac proprietates, influxus, & similia; consulat huius rei peritos.  
 Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, artica sunt, quia  
*Signa nomi-*  
 contigua sunt polo artico. Libra, Scorpius, Sagittarius, Capri-  
*nantur.*  
 cornus, Aquarius, & Pisces, antartica sunt, à polo antarti-  
 co sic dicta. Quæ omnia signa huius arboris sunt  
 branchæ, à trunco originem  
 trahentes.



*DE RAMIS, FOLIIS, FLORIBUS & FRUCTIBUS.*

*De Saturno.* **R**AMI sunt septem planetae, qui ratione motus quem in signis Zodiaci perficiunt, ab illis tanquam à branchis dependent. Primus omnium est Saturnus, qui natura sua malevolus est, ac nocivus, cum sicca ac frigida sit complexio in quibus vitæ punitio confirmata est. Huic succedit Iupiter totus benevolus, cui adscribuntur caliditas & humiditas, vitæ conservatrices. Isti verò proximus est Mars, qui licet noxius sit ratione siccitatis, caliditate tamen aliquantulum malitiam suam temperat, inter quos à summo opifice medius constitutus est Iupiter, utriusque malitiam temperans. Marti Sol succedit, à quo tam superiores quàm inferiores planetae suum habent lumen; huic calor vitalis, & rectè quidem, attribuitur. Veneri verò quæ solem siue oriente, siue occidente, semper comitatur, convenire dicitur humor vitalis, in quibus duobus vita consistit; hinc est quod in Poetarum fabulis habetur, Solem Veneremq; indissolubili matrimonio Deum coniunxisse, ex quibus proles innumera quotidie generantur. Locus Veneris immediate est sub sole, quæ si ipsam præcedat Lucifer appellatur si autem sequatur, Heperus. Veneri contiguus est Mercurius natura sua neq; bonus neq; malus, sed conjunctione ad malum, sed conjunctione ad malum planetam malus dicitur, & ad bonum bonus. Hunc tradunt Poetæ eloquentiæ esse autorem.

*De Iove.*

*De Marte.*

*De Sole.*

*De Venere.*

*De Mercurio.*

*Luna.* Loco ultimo Luna constituta est frigida & humida, cuius effectus admodum experimur cum nobis magis sit proxima, quàm planetae reliqui. Certum est hos planetas colorem non participare, tamen ratione lucis quam à Sole habent, & ratione varij situs nobis colorati videntur atque in hoc cum metallis convenientes. Folia sunt accidentia novem, secundum subiecti nobilitatem considerata. Operationes verò à ramis vel branchis exeuntes, sunt flores. Fructus quidam est peculiaris huic arbori, sc. rerum omnium generatio & per accidens earundem corruptio, quatenus in stellarum & celestium virtute hæc fiunt. Alter fructus colligitur ratione finis, pro ut celestis natura dicitur corporearum omnium substantiarum finis.

*Folia.*

*Fructus.*

*DE ARBORE ANGELICALI.*

*Intellectus memoria, & columnas in Angelis sunt branchæ &* **P**RÆTER ea quæ in huius arboris schemate diximus, considerate oportet, quod branchæ in hac natura dicuntur esse perspicaciores quàm in hominibus, quas comparare poteris ad Deum, vel ad ea quæ in eo inveniuntur, vel ad res in genere proprio. Ex consequenti verò, concreta brancharum pro ramis habebis,



habebis, tribus dictis modis consideratarum. Pro folijs, quantitatē discretam ac continuam cum cæteris prædicamentis considerabis. Operationes verò à branchis exeuntes, vel quare-  
*etiam in arbore humana-  
nali.*

### DE ARBORE ÆVITERNALI.

ADDE his, quæ in huius arboris breui descriptione diximus, merita acquisita vel demerita per humanalis arboris branchas, moralis & angelicalis, numeram radicum complere, ex quibus truncus confurgit, qui est meritorum vel demeritorum duratio perpetua, quæ variari non potest, cum non amplius detur poenitendi spacium. De paradiso atque inferno nullus ambigit, cum Deus sit ipsa iustitia, quæ pro iustis præmium vult, pro iniustis poenam ac tormenta. A brancha paradisi tres rami exeunt, quorum prior iustitiæ ramus est, quia Deus bonum pro bono operatore reddit; quatenus maius bonum reddit quàm exposcant merita, secundus habetur, qui gratiæ dicitur; tertius impropiè passionum dicitur, quia ab agente Deo, iusto dona conferuntur, quibus relationem habet ad agens. A brancha inferni ramus iustitiæ exit, ac passionum; & propriè hoc in loco accipitur passio, videlicet pro dolore in corpore post iudicij diem, & in anima tristitia. Quoniam beatorum actus erga Deum sunt gloria & laus à potentijs intellectualibus exeuntes, secundum actus vel operationes bonarum radicum; ideo flores ævitalis bonæ arboris sunt; respectu malorū, oppositum dic. Fructus qui à flores procedit, in beatis est quies summa potentiarum ac radicum; nam sicuti in summo intelligibili, diligibili ac recolibili, quiescunt memoria, voluntas & intellectus; sic in summo bonificabili, magnificabili quiescunt bonitas & magnitudo; per reliquas radices discurre. Oppositum considera de fructu damnatorum; qui proprio fine ob malitiam & reliquas pravas radices frustrati finem alium adepti sunt, quo coactè perpetuo debent frui.

*A brancha  
Paradisi qui  
rami exeant  
vide.*

*A brancha  
inferni qui.*

### DE ARBORE MATERNALI.

POST primi parentis lapsum, iuxta diuinæ voluntatis æternum decretum, Filij Dei incarnatio hominum saluandorum finis fuit. Cum verò huius sacratissimæ incarnationis medium fuerit Gloriosa Virgo MARIA, ipsa quoque eorundem finis censenda est, qui tamen priori subordinatur. Hic finis licet in se vnicus sit, tamen ratione eorū qui hunc finem intuentur, multiplex est, quem statuo in hac arbore pro radicibus, quatenus  
 a boni-



à bonitate magnitudine ac alijs informatur. De Trunco in schemate satis habes. Branchæ, scil. diuina & humana natura hoc in loco considerantur, quatenus in vno supposito sunt, cui natiuitas attribuitur; naturis enim nasci non comperit. Spes, Pietas, Aduocatio rami sunt, siue in Gloriosa Virgine concipiuntur, siue in peccatoribus, quatenus ad eam confugiunt. Humilitas verò & virginitas in Virgine Maria rami sunt; in ratione exempli. In schemate arboris huius non sunt posita folia (nescio cuius incuria) quæ eadem esse considerabis, quæ alijs arboribus sunt attributa. Actus omnes radicum ac reliquarum dignitatum à Gloriosa Virgine exeuntes, quatenus Mater est Dei, sunt huius arboris flores.

### DE ARBORE CHRISTIANALI.

**R**ATIONE humanæ naturæ alia sunt Christo attribuenda, & alia ratione diuinæ, diuersimodè quoque considerata. Secundum priorem considerationem Christo omnia conueniunt, quæ in humanali arbore, & morali virtuosa sunt explicata; ea remouendo quæ imperfectionem notant, sicuti sunt Fides, & Spes respectu beatitudinis animæ conuenientis, licet aliter sit quo ad spem de corporis glorificatione. Timor quoque quatenus ignorantiam præsupponit, à Christo remouetur, ac etiam Contritio. Ratione diuinæ naturæ ea omnia Christo conueniunt, quæ in arboris diuinalis schemate dicta sunt. Branchæ, diuina, scil. natura & humana in Christo distinctæ manent, non solum in se, sed etiam quo ad proprietates. Rami sunt respectus diuinæ naturæ, ad humanam in Christo, & humanæ ad diuinam; secundum omnes potentias ac vires in humana; & in diuina quo ad intelligere, velle, prædestinare ab interno, assumere, beatificare, & secundum reliquas diuinās operationes humanā naturā respicientes. Folia ex Aristotelis prædicamenta sunt sumenda, & ex categorijs nostris. Flores sunt actus radicum, secundū vtrāque naturam in Christo considerati; actus quoque prouenientes à diuina & humana natura, in florum numero sunt ponendi. Per fructum recreationis, intelligenda est salus homini exhibita; per exaltationem, dignitas homini collata, qua superior factus est omnibus creaturis; per manifestationem, Dei benignitas singulari modo nobis ostensa; per deificationem verò nobis insinuatur, quod per idiomatum communicationem Deus homo factus est, & homo Deus.

### DE ARBORE DIVINALI.

**R**emouentur à radicibus vniuersalioribus Contrarietas ac Minoritas, ob earū imperfectionem; nisi considerare velles

Contra-

*Fides, Spes & quaedam alie virtutes non conueniunt Christo.*

*Quatuor fructuum genera.*



Contrarietatem pro oppositione quacunque, & Minoritatem pro repugnantia alicuius operationis, vni & non alteri personæ conuenientis. Pater enim cum generet & nō Filius, hoc modo Filio est maior; simili modo de Patre & Filio respectu Spiritus sancti, poteris asserere; tamen est satis incongrua loquutio. Cū in Deo sit memoria fecunda ac voluntas, quæ duo in ratione distincti principij, quæ (quasi totalis) distinctas productiones habeat; diuinæ quoque proprietates con-  
surgunt, vna ex parte producentis, & altera ex parte producti, secundū utranque productionē, quarū tres sunt personarū constitutiue, sc. generatio actiua, generatio passiuā, & spiratio passiuā: Prima, cum essentia Patrē constituit, secunda Filium, & tertia Spiritum sanctum, altera verò, sc. spiratio actiua, cum Patri & Filio in esse personali constitutis (quasi) adueniat, vim non habet constituendi. Proprietates istæ sunt huius arboris branchæ, quibus adungere poteris innascibilitas Patris. Rami sunt actus generandi & spirandi, qui ratione principiorum & terminorum adæquatorum distinguuntur: nam generare, à memoria fecunda, scilicet intellectu & essentia diuina est; spirare autem, à voluntate & essentia; generare ad filium terminatur spirare ad Spiritum sanctum: & intelligimus de termino adæquato & non formali; quoniam utriusque productionis formalis terminus est idem, essentia videlicet diuina. De aliorum dictis non curamus, Scotum præceptorem sequimur. Folia sunt negationes categoriarum Aristotelis vel nostrarum affirmationes. Flores sunt probationes diuinarum productionum, desumptæ à radicibus. Bonitas enim diuina secundum intellectum & voluntatem se ad intra communicat: Sic se communicare est magnum; & cum ab æterno sit, æternaliter debent esse productiones. Discurre per reliquas radices, probationes sumendo.

**H**ÆC de secunda parte principali dixisse volumus. Breuitatis causa ea tantum tetigimus in arborum quarundam explicatione, quæ in Schematibus non admodum clara erant; vel quæ nullo modo explicata.

### TERTIA PARS.

**S**TATVERAMVS in hac parte exemplis illustrare qualiter ea quæ in prima parte explicata sunt applicari debeant arboribus vel sub arboribus consideratis rebus, verum coactè breuitati studentes, modum quem in exemplis obseruauissemus poteris notare, ac sana mente contemplari, quæ sequen-

*Quomodo Minoritas et contrarietas in Deo possint esse.*

*De memoria fecunda & voluntate.*

*De proprietatibus personarum constituentibus.*

*Quomodo generare & spirare distinguantur.*



tur. Prius reducendum est subiectum de quo loqui inten-  
 dit ad genus quoddam proximum si species est, & genus eius  
 ignoras; vel ad speciem, si individuum est; nec erit impossi-  
 bile hoc observare recurrendo ad arbores, vel per entis omnē  
 diuisionem vsque ad genus proximum vel speciem descen-  
 dendo; si speciem non cognoueris, recurre ad proprias passio-  
 nes vel ad naturales rei actus, quæ cum à differentia magis  
 propria emanent, te in speciei cognitionem deducunt, quæ ex  
 genere & differentia magis propria integratur; deinde verò  
 priores novem radices, scilicet absoluta principia, sum, quæ  
 cum rei essentiam nocent, vel quæ immediatè eam confe-  
 quantur, prius rei conueniant; & per omnia illa principia dis-  
 currendo varias definitiones sumes, iuxta præcepta in prima  
 parte à nobis observata; dum definiēbamus radices; hoc ta-  
 men observando, ne transgrediaris naturam generis vel spe-  
 ciei, ad quæ subiectum reducitur; quod optimè poteris obser-  
 uare, quia ut diximus in tractatu de radicibus; per bonitatem  
 & cætera principia intelligit Lullus rei intrinseca, quæ non  
 semper eadem sunt, sed ad variationem subiecti ipsa quoque  
 variantur. Postea quodlibet principium absolutum, cum  
 quolibet absoluto & respectiuo, cum qualibet forma, ac spe-  
 cie quæstionis cuiuslibet definiendum est, quod & observari  
 debet in definitione etiam subiecti, vel respectiui principij,  
 aut formæ vel quæstionis alicuius. Inde recurre ad respecti-  
 ua, deinde ad formas, postea ad accidentia, & denique ad  
 quæstiones & quæstionum species. Si magis conceptus mul-  
 tiplicare volueris, resolvere poteris rem in principia sua, &  
 quodlibet illius principij ut illius est, definire; per omnes ra-  
 dices, formas, accidentia & quæstiones discurrend; vel resol-  
 vere poteris in ea omnia, quæ de ipsa prædicantur, quatenus  
 sunt idem subiecto, & quodlibet illorum omnibus dictis mo-  
 dis multiplicare. Multiplicabis conceptus in infinitum, si  
 pars alicuius arboris omnibus arboribus comparabis, educen-  
 do concordantias vel differentias, aut maioritates, vel mino-  
 ritates; aut omnia simul. Hæc si observaueris, infinitos de  
 vna quaque re habebis conceptus. Observa insuper animad-  
 uersiones nostras, & uti diligentia in continua applicatione,  
 & cognosces ea praxis præstare, quæ nobis impossibilia vi-  
 dentur.

#### QUARTA PARS.

**T**OTA Lulli generalis ars consistit in quatuor figuris, no-  
 uem subiectis, ac eorum cognitione. Primam figuram

ex



ex nouem principijs absolutis fabricat, quæ sunt priores nouem radices. Secundam constituit ex nouem respectibus, quæ sunt posteriores radices. Tertiam à prima & secunda deducit, & quartam ex prima, secunda, & tertijs elicit. Habes figuras ex radicibus. Habebis subiecta nouem in se considerabis ea quæ in arbore morali, imperiali, apostolicali, & maternali, vt tales sunt; esse accidentia quædam, nempe relationis superioritatis, dignitatis, & honoris, quæ ad instrumentatiuam reducuntur; vel ad hominem; quatenus hæc omnia circa hominem fiunt. Æternalis quoque arbor ad hominem, vel ad angelum reducitur: & Christianalis ad Deum, qui est primum subiectum à Lullo ordinatum. His notatis, de figuris nonnulla dicere placet.

Prima figura quæ absolutorum est, nouem habet cameras: & est circularis, quia quodlibet absolutum respectu cuiuslibet, habet rationem subiecti & prædicati. Nec solum huius figuræ principia de seipsis prædicantur, sed de omnibus quoque extraneis, quæcumq; sint illa, dummodo non sint horum opposita.

Secunda respectiuorum est, & totidem habet cameras, eodem modo dispositas, quo prima; cui omnia conueniunt quæ de priori dicta sunt.

Tertia ex duabus assignatis constat, & habet octuaginta & vnâ cameras, quarum quælibet duas literas continet, quæ notant principiorum absolutorum ac respectiuorum naturâ, per literas significata; notantque vterius quæstiones literis respondentes. Causatur ex revolutione camerarum primæ figuræ, sub vna secundæ, & omnium secundæ sub vna primæ. Lullus tamen tantum triginta sex cameras acceptat, vt videbis in sequenti schemate; quoniam propositiones in quibus idem de seipso prædicatur, non faciunt ad negotium pro demonstrationibus in quibus debent esse tres termini diuersi, quod non potest esse, si idem vel in maiori vel in minori de seipso prædicetur: hoc autem accideret, si omnes cameras acceptaret. Et vt cognoscas quibus literis signentur principia vel quæstiones, sequens schema considera.

### *SCHEMA ABSOLVTORVM.*

B Bonitas.

C Magnitudo,

D Duratio.

E Potestas.

F Sapientia,

G Voluntas.

H Virtus.

I Veritas.

K Gloria.



*SCHEMA RESPECTIVORVM.*

B Differentia.

C Concordantia.

D Oppositio.

E Principium.

F Medium.

G Finis.

H Maioritas.

I Æqualitas.

K Minoritas.

*SCHEMA QVAESTIONVM.*

B Verum.

C Quid.

D De quo.

E Quare.

F Quantum.

G Quale.

H Quando.

I Vbi.

K Quomodo &amp; Cum quo.

*FIGVRA TERTIA.*

bc								
bd	cd							
be	ce	de						
bf	cf	df	ef					
bg	cg	dg	eg	fg				
bh	ch	dh	eh	fh	gh			
bi	ci	di	ei	fi	gi	hi		
bk	ck	dk	ek	fk	gk	hk	ik	

Ex qualibet camera duodecim eliciuntur propositiones, & viginti quatuor quaestiones. Propositiones sic habentur. Accipe primam cameram, scil. bc. & fac vt c. de b. praedicetur quo ad sua significata & e contra, & quod etiam, b. de seipso, secundum aliud significatum, ab illo pro quo est subiectum, & sic tres propositiones habebis; quia vero litera quaelibet duo habet significata, scil. absolutum & respectiuum, & duae sunt literae, ergo quatuor erunt significata; quae si triplicentur, resultat numerus duodenarius. Cuilibet vero propositioni si assignaueris quaestiones, per illius camerae literas significatas, habebis 24.

Quarta figura ex tribus assignatis constat, quae cum maximam tabulam producat, atque difficilis satis sit, & longa eget declaratione, de ea verba faciemus in expositione artis breuis Lulli; ibique ad plenum manifestabimus, quae hic tantum tetigimus.

DE



*DE SCIENTIARVM AR-  
tiumq; obiectis.*

**N**ON permittit angustia temporis, vt fusius de scientia-  
rum obiectis tractemus, ac eorum numero; ideo hæc  
pauca notanda proponimus. In reliquis vide Henricum Cor-  
nelium Agrippam, in eo libro, qui de vanitate scientiarum in-  
titulatur.

Grammaticæ obiectum, est ens rationis, quod in oratione  
fundatum, quatenus congrua est vel incongrua.

Rethoricæ, ens pariter rationis, in oratione ornata vel in-  
ornata fundatum.

Logicæ, Syllogismus vniuersaliter acceptus, secundum  
Scotum in secunda q. vniuersalium.

Philosophiæ naturalis, corpus naturale.

Metaphisicæ, ens quatenus ens.

Theologiæ, Deus sub ratione deitatis.

Geometriæ, Quantitas continua à materia abstracta.

Arithmetiæ, Numerus à materia segregatus.

Musices, Numerus sonorus.

Astrologiæ, quantitas continua, quatenus mobilis.

*F I N I S.*

